VIS NATVRÆ
ET
VIRTVS VITÆ
EXPLICATÆ, COMPARATÆ,
ad vniuersum Doctrinæ ordinem
constituendum.

Liber singularis, Sectione bipartitus.

Auctore GVILIELMO SPARKE
Oxonienſi, in Artibus Magiſtro,
è Collegio Magdalenenſi Socio.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

Plus vltra.

LONDINI,
Excudebat Richardus Field.
1612.

ILLVSTRISSIMO D. HENRICO, EXCELLENTI *MAGNÆ BRITANniæ Principi.*

MAgna ſumendo maiora præſumimus, Sereniſſime Princeps, quæque nobis omnibus (abſit verbo inuidia) tui Muſæi alumnis animum fecit, ſingularis Tuæ dignationis gratia veniam dabit, negabitq; noſtram fiduciam videri audaciam, quæ ampliſſimũ tantæ Excellentię nomen, gratias agẽdo & gratulãdo affatur, in quibus minor eſt ingenij quàm animi iactura. Eaq; in literas & literatos benignitate, quò in plures vſus es, eo magis

in multos vti poteris. Id cum nos abunde sentiamus, gratias debemus agere quas habemus maximas; habemus autem quas non possumus agere, nedum referre quas debemus infinitas. Quod non ita olim (vt cætera taceam) eum tu nobis, cum prohibere poteras, dedisti Præsidẽ, quo diutius carere non potuimus, virum, qui cum gratia nihil faciat, omnia tamen quę facit sunt gratissima; effecisti plane vt gratia cum Musis æternum fœdus & societatem inijsse videatur. Vt iam certo speremus quod olim erat in votis, aut gaudeams potius quod semper expectauimus, fore te celeriori virtutis, quam ætatis cursu, Patri, potentissimo, eruditissimo, sapientissimo Monarchæ, similem, hoc est, optimũ Principem, vtpote qui iampridem scribenda feceris, & iam protinus legenda scripseris. Neque enim permittes vt bonæ artes, quę tuæ iam maximæ curæ sunt & occupationes, negli-

negligentiunculæ in posterum habeantur. Malit vtique bonus vir quod vitæ cunq; reliquum est, sibi surripi, quam detrahi quod præterijt. Quam ille fœliciſſimus Princeps, cuius laus est patrem imitari? Quam ille optimus Imperator quem hæredis virtutes commendant? Quam illi vtrique vt loco & potestate, ita animo & virtute ad Deum Op. Max. proxime accedunt? Vt illud Homeri, Platone interprete, veriſſimum obtineat: *Discipulos Deorum non alios esse quam Principes.* Cum igitur ad te redeat literarum gloria, ad nos fructus; vsum fructumque, si quid lucubrationes nostræ in lucem eruere poterint, æquum putamus in rationes tuas referre: idque studemus ne aliquando tanti nominis dignatione indigni videamur. Ego vero cum almæ matris Academiæ cura me publicis scholis per hunc annum, alterum præficiendum censeat, aliquid eo iam loco

dignum efficere,

Cur me posse negẽ posse quod illa putat?

Cogitaui protinus quo studio scholis simul omnibus, dum præsim, prodesse possim. Certè non facilè dixero an quidpiam magis ad singulas artes, virtutesq; omnes conducat, quàm si generalis vniuersæ doctrinæ ratio constituatur: Vt planè constet quid quæque pars studij debeat, quantum valeat, vbi reliquis indigeat, vbi opem ferat alijs, quo denique nexu omnes animi molitiones coniungantur. Ita enim prudenter proficiens, cum aliquando in senatu sententiam rogatur, cum ad externos legatus mittitur, cum prætor iuri dicundo sedet, cum in pulpitis rostrisue stat orator, cum etiam in scholis disputans detinetur, in varietate literarum electione vti possit & modo: quod quidẽ magnum est & longe longeque maius quàm vulgus arbitratur. Habent quidem literæ, cum singuli ferè

partibus

partibus ſtudeant, interpolatores plurimos, redintegratores, puto, non ita multos. Ex ijs autem qui nomine & memoria digni ſunt, nec nihil appoſitè, nec omnia perfectè quiſpiam viſus eſt dixiſſe. Ego igitur vt quiſque placuit, aut ſicubi nemo ſatis, verecundè diſſentiens, pro authore rationē ſum ſecutus. Cū enim nihil aliud ſit *Doctrina* quàm regula virtutis, nec *Virtus* aliud quàm *Naturæ* abſolutio; rem ab origine repetens, explicui naturæ vires & facultates; ſuas deinde ſingulis virtutes applicui, ad vtraſque demum ſingulas doctrinæ partes accommodaui: vt natura ſibi, virtus naturæ, doctrina virtuti, hominiſque *vita* omnibus reſpondeat. Amplum hoc argumentum, opuſculum verò ſatis arctum: Fateor; ita nempe decet incorruptam veritatem eſſe inſtar virginum:

Quas matres ſtudent
Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, vt

gra-

graciles sient. Prostitutæ impostura magis intumescant licet. Non sum mihi tam Suffenus vt de me quidpiam magnopere pollicear. *Iactantia autem laudis multum decoquit de pudore.* At cum mei conatus viris alioqui ingenio subactis aliquid esse videbãtur, quorum certe aut iudicia probanda sunt, aut excusandi affectus; nolui profecto illorum votis ita deesse, vt hæc qualiacunq; prima ingenij tentamenta supprimerem, quæ aggredienteis ad hæc tantisper morari non inuenta potuerint. Et me aliquando in postremum, aut nullum rejici locum, iucundissimum mihi erit intuenti profectus humanæ sapientiæ. Interim, Sereniſſime Princeps, herbam tibi porrigo, ni fallor, eam quam Homerus μῶλυ vocat, quaque Vlyssem dicit vsum fuisse quasi quodam antidoto contra Circes veneficia, nigram radice, flore lacteam, inuentu difficillimam: *Doctrinam* intelligo,

inuentu

inuentu quidem vtvt omnibus expoſita videatur, ſatis difficilem, radicẽ habet bene nigrã, in obſcuro *naturæ* puteo altè demerſam; flores autem in *virtutis* ſpendore albicantes candidiſſimos. Tu modo, Illuſtriſſime Princeps, pios conatus aſpicere digneris, nec quidquam eſt quo minus manumittantur, & liber fiant.

Ingenium vultu ſtatq; caditq; tuo.

Εὐτυχεῖ μισηγέτα donec ſatis naturæ, ſatis gloriæ, ſatis patriæ vixeris, (vt quod retulit Tacitus) Sol in Britannia nunquam occidat, aut ſero ab Anglis ad Angelos recedas.

Celſitudinis tuæ

omni officio obſeruantiſſimus

GVIL. SPARKE.

Ad Lectorem.

ID eſt ingenium hominis: Malumus deprecari culpam, quam vacare.

Scimus, & hanc veniã petimuſque, damuſque viciſſim. *Si quid ſcripturiens temere erraui, benigne Lector, humanum nihil à te alienum puta. Eaq; fretus humanitate, librum ad te qualemcunque, non epiſtolam, dandum cenſeo, ad quem legendum bene te attentum video, ſi non nimis diligentem: beneq; docilem ad intelligendum, ſi non nimis ad negligendum edoctum. Quin neceſſum eſt*

Pro captu lectorum habeat ſua fata libellus.

Age igitur, cape: quid ſuſceperim, titulus

lus indicat; quantum præstiterim, facta tibi est cognoscendi simul & ignoscendi potestas. Ad id autem laboraui, vt in natura explicanda virtutis naturam, in virtute inuestiganda doctrinæ virtutem, exponerem: in singulis, vt vetustis nouitatem darem, nouis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus verò naturam redderem, & naturæ suæ omnia. Quibus quidem magnis ausis impar si exciderim, vt pro nouo scriptoris nomine authoritatem non habeant, aut ne gratiam obtineant sua dignitate, saltem pro Lectoris candore veniam impetrent.

Nullum sine venia placuit ingeniũ.

Titulorum Elenchus.

SECT. I.

CAP. 1. Instituti ratio.
2. Inuestigatio potentiarum Rationalium.
3. Explicatio ipsius Rationis.
4. Collatio & ordo potentiarum.
5. De Ingenio seu dispositione.
6. De Habitu & industria.

SECT. II.

CAP. 1. De Virtute & Doctrina vniuersaliter.
2. De Logica, eiúsque Doctrina.
3. De Experientia, & Historia: de Musa, & Poetria.
4. De quinque Virtutibus Iudicij, Intellectu, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Arte; deque Philosophia prima, Metaph. Math. Phys. & de trib. Professionibus.
5. De Morali Virtute.
6. De Eloquentia; de Grammatica, & Rhetorica.
7. Collatio & ordo Virtutum & vniuersæ Doctrinæ.
8. De Doctrinæ ortu, profectu, varioque defectu, & statu.

VIS NATVRÆ ET VIRTVS VITÆ EXplicatæ, comparatæ, ad vniuersum *doctrinæ ordinem constituendum.*

Sect. 1.

Cap. 1.
Instituti ratio.

HOmo naturæ ἀγαπαταλαίωσις cum omni creatura aliquid commune habet, cum Angelis mẽtem, cum animalibus sensum, cum plantis vitam, cum reliquis molem. Mens præest sensui, sensus vitæ, vita corpori, singulis sui sunt spiritus ministri, vt omnia *vni* subseruiant. Quibus *solus homo quia mẽte præditus frui potest, quia corporeus carere nequit.* *Morn. de verit. rel. chr. c. 16.*

Hominis, (vt cuiusque rei) vita in suæ

naturæ energia consistit, & tum demum beata erit, si responderit suis principijs. Quandoquidem omne bonum positum est in conuenientia, vt *illud sit cuique optimum, quod est naturæ suæ maximè accommodatum.* Nam in eo est sufficientia. Ideoque omnia ad id, quodcunque videtur bonum, feruntur appetitu, velut impetu, vt tandē vno fruantur eo, quod est optimum.

Eth.l.10.c.7.
Pol.l.8.c.7.
Cic.5.de Fin.

Repetunt proprios quaque recursus,
Redituq; suo singula gaudent.
Nec manet vlli traditus ordo,
Nisi quod fini iunxerit ortum,
Stabilemq; sui fecerit orbem.

Boet.de cōs. phil.l.3. met.2.

Vis naturæ adolescit in virtutem vitæ. Itaque vir nec fato subijcitur, nec fortunæ. Natura enim manumisit hominem, & consilium virum dirigit. *Sed hæc fuerit nobis tanquam leuis armaturæ prima excursio orationis, iam hinc cominus agendum est.*

Ad virtutem, quæ nihil aliud est, quā rectus vitæ habitus, tria conducunt; Aristoteli φύσις, μάθησις, γυμνασία; Plutarcho εὐφυία, λόγος, ἔθος; Ciceroni *Ingenium, Ars, Diligentia* dicuntur. Atque hæc ter

Ret.l.3.c.12
Laert.l.3.in Arist.
Περὶ παιδῶν ἀγωγῆς.
In Oratore.

tria

tria vna ſunt. De quibus ſingulis, quantum ad præſens inſtitutum ſpectet, non omnia, ſed quæ exiſtimem potiora, ſi non ſatis explicem, & abſoluam, pro virili tamen expedire conabor. Vt ea, quæ nondum ſatis erant nota, ſunt autem cognitione digniſſima, & *indoctiores* poſſint faciliùs *intelligere*, & *doctiores legere* non dedignentur.

Verùm cum de virtute hic nobis ſermo ſit, *non qualis inter homines habetur, ſed cuius perfectio* (vt Viuis vtar verbis) *& in naturæ ſita eſt poteſtate, & in hominũ ingenijs*, non abs re (quod ſentio) fuerit, ſi naturam hominis primo loco excutiamus. Ne dum ea, quæ nondum eſſent, feciſſe potiùs, quàm quæ in natura laterent, arte detexiſſe videamur, non tam vera naturæ inſtituta, quàm ficta noſtri ingenioli placita tradidiſſe arguamur. *Naturam ſequamur ducem, & nunquam errabimus.* Etſi enim non magis ars naturam, quàm natura Deum, poterit imitando aſſequi, in eo tamen rectè facit, quòd μετ' ἴχνια βαίνει θεοῖο, *Diui veſtigia preſſit.*

De traditione diſciplinarum, l. 1.

Τέχνη μιμεῖται τὴν φύσιν *Ar. phyſ. l. 2. c. 2.*

Hom. Odyſſ. α.

CAP. 2.

Inuestigatio potentiarum Rationalium.

IAm hinc ergo intrandum est σωὶ θεῷ in viscera naturæ,& penitius quid ista postulat peruidendum, *vt quod natura desiderat, ars inueniat, quod ostendit sequatur.*

Ad Heren. l.3.

Omnis vis, omnisque potentia, & facultas, homini propria, quæque potest institutione,& industriâ,in virtutem redigi, est aut ipsa *ratio*, aut rationalis, vtpote quæ pendet à ratione, vel regulatiuè, vt *comprehensio*; vel profluxiuè vt *oratio*. His enim tribus voculis,ignaris fortassis insolēter,& inepte,sed apud doctos non insicite,animam hominis ferè vniuersam licebit definire.

Oratio quidem (vt ab vltima incipiam) riuus est rationis; ab ea enim, vt à fonte, perpetua scaturigine promanat; ita & ridendi potentia: cuius quidem vtriusque actum ratio etiamnum regit,& moderatur. Nihil enim magis prodit male sanam rationem, quam intemperata ridendi, aut importuna loquendi licentia.

Viu.Trad. disc.l.3. & de An.l.2.

Com-

Comprehenſio, qua res obuerſantes percipimus, perceptas retinemus, retentis afficimur, à ratione quidem non promanat: Quandoquidem communis eſt hominibus, pariter & iumentis: Hæc enim ſenſu valent, memoriâ etiam, & appetitu. Quæ tamen eædem facultates, rationis regimini obedientes, alijs ſubinde nominibus homini attribuuntur.

Vt rationalis comprehenſio triplex ſit, { Intellectus. Recordatio. Voluntas.

Atque tres iſtæ comprehenſionis partes poſſunt ad duos ipſius actus commodiſſimè redigi.

Duo comprehenſionis actus, { Simplex imaginatio. Connectens æſtimatio.

Vid. Ar. de Anim. l. 3. t. 21. 26.

His autem Philoſophi verbis eo libentius vtor, vt à vulgi iniurijs vindicentur, rebuſque ſuis reſtituantur. Quandoquidem ſua eſt tum intellectui phantaſia, tum ſenſui æſtimatio, certe quidem vtræque vtriſque. Ijs enim duabus partibus omnis cognitio abſoluitur. Περὶ δὲ τοῦ νοεῖν τὸ μὲν φαντασία δοκεῖ εἶναι, τὸ δὲ ὑπόλη-

De An. l. 3. t. 56. 57. & l. 2. t. 150. post. l. 2. t. 103.

De An. l. 3. t. 40.

De An. l. 2. t. 155.

πόλη ψις : *Cognitio partim videtur esse phantasia, partim æstimatio.*

Imaginatio est simplex obiecti comprehensio, conceptio, seu imaginis notio, ipsiusque actus est *definitio*. Tum enim rem quamque perfectè concipimus, cum illius *quid* comprehensum est. Nec omninò impedit ea quæ in phantasia vulgo dicitur terminorum compositio, est enim illa *syncategorematica*, aut *subnotionalis* coniunctio, seu potius adiunctio, non autem sententia. Etsi etiam aggregata sit conceptio terminorum aliquando connexorum, vtpote totius orationis, nunquam tamen ipsa connectit. Neque enim adhuc animus affirmat, aut negat, assentitur, aut dissentit, vllamvè omnino sententiam statuit. ἔστι δὲ ἡ φαντασία ἕτερον φάσεως, ἢ ἀποφάσεως. *Phantasia aliud est ab affirmatione, & negatione.*

Fracastor. de Intell. l. 2.

De An. l. 3. t. 39.

Imaginatio duplex est, { Apprehensio, Recordatio.

Apprehensio est rei prius ignotæ simplex receptio, siue expressa conceptio, seu facta imaginatio, aut phantasia.

Recordatio est simplex rei iam notæ retentio,

retentio, imaginatio ſcilicet repoſita, aut repetita. Et (ſi liceat aperte loqui, quod tacite ſentio) phantaſia, quæ apprehenſio dicitur, quando primum fit, eadem habitualiter conſeruata, aut actualiter repetita, recordatio nominatur. *Ar. de Mem & Rem. t. 3. ſ. 11.*

AEſtimatio, quæ eſt altera comprehenſionis pars, eſt animi ſupra ſuam imaginationem reflexio, qua iudicat de re iam prius concepta; neque eſt ſimplex ille *nutus*, ſuper enunciabile comprehenſum cadens, quod nonnulli contendunt, ſed in terminis omnino connectendis occupatur, vt ſit planè ſententia. Cum antiquis enim ijſque probatiſſimis philoſophis libenter conſentio. Malim autem cum animi æſtimatio, aliquando ſit ἐνδιάθετος, & abſoluta, appellare ipſius actum ſententiam, quam effatum, aut enunciationem, quamvè axioma, aut propoſitionem. *Vid. Thom. q. 1. de verit. art. 3. Scot. 1. d. 1. q. Soncin. 6. Met. q. 10. Greg. 1. q. prolog. ar. 3. Fonſ. 4. Met q. 6.*

AEſtimatio duplex, { Iudicium, Affectus.

Iudicium eſt indicatiua ſententia, veram, aut falſam intellectus æſtimationem continens: atque ſemper eſt aut

affirmans, aut negans.

Intellectus iudicium quadruplex; in { vero { opinio. scientia. } falso { error, hæresis. }

Vid. Ar. metap. l. 12. t. 36. De An. l. 3. t. 50. & 56. De An. l. 3. t. 28. & 30. Eth. l. 6. c. 2 Scal. de Subt. exerc. 307. 34. Cicero Tusc. 4. Galen. 4. de Plat. & Hipp. decretu. Vid. Ar. de an. l. 3. t. 29. Scal. Subt. ex. 307. 34. Fracast. de intel. l. 2. Scal. exer. 307. 15.

Affectus est optatiua, imperatiua, aut eiusmodi sententia, voluntatis æstimationem bonam aut malam exhibens. Atque semper *aut appetit, velut affirmando*, quod volitio dicitur, aut *vt negando auersatur*, quod Scholasticis nolitio appellari solet. Sua enim sententia danda est voluntati, æque ac intellectui. Si quidem voluntas & intellectus practicus distinguantur, aut non potius, vt apprehensio, & recordatio, coniungendi sint. Vtcunque omnis actus voluntatis συμπλεγμένος *complexus* est, & compositus. Ideoque *Stoici (quos licet insectemur, vereor ne soli sint philosophi*, atq; inter eos præcipuè *Chrysippus) appetitus animi iudicio fieri censent, & opinione*. A quibus ipsi etiã Peripatetici non ita longe aberrant.

Voluntatis affectus triplex, { Virtus. Passio. Vitium.

Passio

Passio enim opinioni respondet, & errori, virtus scientiæ, vitium hæresi. Atque his vocibus, penuria laborantes vtimur, quibus quidem tam actus animi, quam habitus, significari solent. Hactenus partes animi rationales breuiter explicuimus: ipsa iam hinc ratio sequitur consideranda.

CAP. 3.
Explicatio ipsius Rationis.

SI ea esset animæ humanæ natura, vt per illam qua maximè præstat, partem, tantum patiens iaceret, notis subdita corporum, vt illud comprehenderet quodcunque obuersaretur, equidem esset homo animal vtique satis implume, nec quidquam pol hominem interesset & belluam. Quin autem *animal hoc* (vt cum Cicerone dicam) *prouidum, sagax, multiplex, acutũ, solũ ex tot animantium generibus plenum rationis, & consilij,* præclara conditione generatũ est à supremo Deo, vt liberam in suas potentias potestatem habeat. Potestas hæc (placet enim ἐξουσίαν eam potiùs quàm δύνα-

Vide Frac: de Intel. l. 1.

Cicer. de leg. 1.

μιν

μὴν nuncupare) eadem est quæ vulgo ratio, philosophis agens intellectus, oratoribus aliquando cogitatio, quasi coagitatio appellatur. *Qualem non habent reliqua animalia, si fortasse similem naturæ solertiam. Proficiscuntur quidem* (vt optimè Viues) *opera illorum à ratione, non autem rei naturalis sed naturæ, id est, authoris, Dei.* Soli enim homini vt sui sit iuris, natura rationem fecit naturalem, diuinæ rationis æmulam, Ἀρχὴ δὲ τοῦ λόγου ὁ λόγος ἀλλά τι κρεῖττον. Ratio certè *apospasma* est & *auulsus ramus diuinæ mentis.*

Lodo. Viu. 2. de An.

Ar. in fine Eudem. 7. Epictet. Ar. de An. l. 1. t. 82. Plut. de virtut. moral.

Sub voce (Ratio) intelligitur aliquando

- Causa rei *efficiens, à Stoicis materiæ, alteri principio opposita:* Seneca: *causa, id est, ratio: ratio faciens, id est, Deus materiam format.* *Cic. Ac. 4.* *Sen. ep. 65. De vita beat. c. 32.*
- Causa formalis, Aristot. Μία δὲ ἡ ὁ λόγος: *Alterum principium est Ratio:* ὁ μὲν γὰρ λόγος εἶδος τοῦ πράγματος: *Ratio est forma rei.* *Ar. phys. l. 1. t. 69. Idem, l. 1. de An. t. 16.*
- Quidditas, quæ simplici termino respondens, per definitionẽ importatur; quo sensu

ſenſu dicit Philoſophus: *Ratio quam ſignificat nomen eſt ipſa definitio.* *Metap.l.4.*

Verbum mentis, quod eſt rei conceptæ imago, ſeu idea.

Mutua habitudo duorum inter ſe. Euclid. *Euc.l.5.elemen.*

Argumentum, quod à Cicerone definitur, *Ratio probabilis rei dubiæ faciens fidem.* *Top. ad Treb.*

Hominis potentia naturalis, quæ quidem ſcitu difficillima, laborioſiſſima explicatu, nobis iam hinc pro virili diſcutienda eſt. Habet autem grande profectò ſtudij pretium & ſpeculationis.

Ratio, cum ſit *vigor animi actiuus, vimax ſcilicet, & ſua ſponte actuoſus*, ſolet à philoſophis Agens intellectus appellari, non quod agat in paſſiuas potentias, ſed in illarum obiecta, à quibus & ipſę, non ab agente intellectu, patiuntur. *Morn. de verit. chr. rel. c. 15.*

Hæc eſt efficiens magis,
Quæ vis ſingula proſpicit,
Et quæ cognita diuidit, *Boet. de cõſol. l. 5. met. 4.*

Quæ

Quæ diuisa recolligit,
Alternumq́, legens iter,
Nunc summis caput inserit,
Nunc desidit in infima:
Tam sese referens sibi,
Veris falsa redarguit.

Siue plures animas homini tribuamus, & vt inter corpus & vitam, spiritum vitalem, inter vitam & sensum, animalem, ita rationem veluti intellectualem spiritum, inter sensum & intellectum, animæ internuntium, vitę vehiculum, vinculum naturæ statuamus: seu potius vnius animæ quæ agit *in corpus vegetando, per corpus sentiendo, absque corpore intelligendo*, ratio summa sit moderatrix, seu perpetua dictatrix, illa *regens animos dictis*; idem vnus est illius actus, Ratiocinatio, siue *discursus*. Qui siue cum Cicerone agitatio, siue cum Auerroë, & Galeno, *cogitatio* dicatur, est certe consideratio, seu *disquisitio*, seu (vt acutissime Scaliger) *manforum veluti ruminatio, ad concoquendæ consilia. Progressio est, non status*, Actus est non emittens, nec retinens, sed deferens scientiam, & vniuersam animi comprehensionem.

Cœl. Rod. l. 2 c. 2. 3.

Scal. exer. 307. 2. 2. de an. t. 63. & 3. de an. t. 6. & 20. De sympt. caus. Scal. ibid. Scal. exerc. 256. Idem. exer. 307. 5.

Vt

Vt igitur ad ſingula comprehenſionum genera, ſingula reſpondeant ratiocinia, liceat appellare

illud { cogitationem, reminiſcentiã, deliberationem, } quod conducit ad { intellectum, recordationem, voluntatem. }

Tot enim ſunt niſæ, & progreſſæ rationis motus, quibus transfertur animus à præcognitis ad rerum quęſitarum comprehenſiones. Nam circa quæſtionem omnis diſquiſitio rationis verſatur. Species enim rei obiectæ cũ mouerit animũ ad amplexus ſicut illa petulans puella, ſubterfugit ilicò:

Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri.

Atque inde ſuſcepta rationis cogitatio motus eſt, quo animus proſequitur ſuũ obiectum, quod quidem *quæſitum*, medium eſt inter *motiuum* & *terminatiuum*. Quæ tria re idem ſunt. Quod enim primo mouet animum, ita tamen materialibus obſcuritatis fecibus incruſtatur, aut quouis modo obumbratur, vt ſatis comprehendi non poſſit, rationis indagini

Vide Tol. de an. l. 3. c. 7. q. 20.

gini obijcitur, qua demum inuestigata, explicatum, examinatum, fit idem animi deinceps obiectum terminatiuum. Βουλευτὸν δὲ καὶ προαιρετὸν τὸ αὐτό: πλὴν ἀφωρισμένον ἤδη τὸ προαιρετόν. *Id autem de quo consultatur, & id quod consultum est, idem, nisi quod hoc posterius definitum iam est, & determinatum.* Simulque *id omne, cuius est opinio, διώρισαι, decisum iam,* ac transactū est. Ratio autem nondum terminata quærit, & discurrit. Ideoque in parallela proportione ad

quæstionem { simplicem, complexam, } est duplex rationis

disqui- { collatiua illatiua, } ducēs ad { definitionē, sententiam.

Eth. l. 3. c. 3.

Ibidem, & 6. Eth. c. 9.

De An. l. 1. t. 48. Λόγος δὲ πᾶς ἢ ὁρισμὸς, ἢ ἀποδείξις; *Omnis ratio est definitiua, aut concluſiua.* Per illam, quæ est *ordo* perspicuè conferendi terminum cum termino, absque illorum connexione, quæsitum inuestigatur, & eruitur obiectum, ipsiusque species illustratur, vt recta phantasia apprehendi possit, & vt certa, promptaque recordatione reponi queat, & repeti. Vt enim ordo archetypus sit quidem supremi agentis, ectypus sit in rebus naturæ

Inter ordinem & methodum quid distat. Vide Zab. & Piccol. controuers.

turæ effectis, vtens in ipſarum rerum comprehenſione; certè docens ſeu dirigens ordo rationi debetur, intelligentiæ ſiquidem magiſtra eſt, & mater memoriæ. Per alteram diſquiſitionem, quæ eſt *methodus* conſequenter inferendi terminum, per terminum, de termino, ex debita illorum connexione, obiectum iam prius conceptum examinatur, vt de eo vera fiat tum intellectus, tum voluntatis æſtimatio, & ſententia. Quælibet enim recta animi rationalis comprehenſio ſequitur aliquam rationis diſquiſitionem, vt quies motum; omneſque ad verum vnice contendunt, Τοῦτο γὰρ ὅτι παντὸς διανοητικοῦ ἔργον. Quandoquidem omnium animi partium opus eſt veritas, nempe conformatiua, ne temerè aſſentientes incognita pro cognitis, falſa pro veris, pro bonis mala habeamus. *Eth. l. 6. c. 2.*

Vt huic ſatis multæ diſputationi finem tandem definiendo apponam, ſummamque colligam; *Ratio* eſt poteſtas diſquirendi quodlibet quæſitum, vt rectè comprehendatur.

Rationis

Rationis disquisitio { Collatiua { Commentatio, Reminiscentia. } Illatiua { Disputatio. Deliberatio. }

Org. l. de interpret. c. 3.

Commentatio est disquisitio simplicis thematis, vt apprehensioni rectè exponatur; qualem illi in omni genere eruditionis instituisse videntur, qui commentarios scripserunt.

Ar. de Mem & Rem. t. 19.

De natura animalium. l. 1. c. 1.

Reminiscentia non est *memoria*, neque *recordatio*, vt philosophus contendit, sed ζήτησις, καὶ λόγισμος, recultus quidã, quo animus res tum per obliuionem erasas, & deletas, tum per obscuritatem interlitas, & interruptas, tum per occultationem obrutas, & contectas, discurrendo recordatur.

Vide Eth. l. 6. c. 2.

Disputatio suo nomine satis nota est, Disquisitio scilicet complexæ quæstionis, qua mentis puta-menta, iudicia, opiniones, controuertuntur, ad veram intellectus sententiam concludendam. Quali quidem ratiocinio vtuntur illi, qui docere satagunt.

Ibid. Eth. l. 6. c. 1. Eth. l. 3. c. 3.

Denique deliberatio est etiam disquisitiõ quædam, Τὸ δὲ βουλεύεσθαι, καὶ λογίζεσθαι

βαι ταὐτὸν. Disquisitio (inquam) qua animus consilium init, ad rectam sententiã, in rebus agendis statuendam. Hanc autem rationis partem oratores sibi propriam asciuerunt.

Atque ita stat de potentijs rationalibus sententia, cui siqui contra putent, me cum veritate à se etrare patientur; nec repugnabunt nisi fastidium pro muro, pertinaciã pro telo habeant: Ij verò

— pergant pugnantia secum
Frontibus aduersis componere. Hor. l. 1. Ser. Sat. 1.

Cap. 4.
Collatio & ordo potentiarum.

QVemadmodum materia prima in se penitus vacua, & inanis, appetit formam, ita anima, quæ est veluti *rasa tabula*, species rerum cognoscendas studiosè quærit. Ideoque quæstio bene definitur à Cicer. *Cognitionis appetitio*, nisi potius comprehensionis appetitio (ne quid ei detrahatur) dicenda sit. Ipsum autem quærere ita est homini naturale, vt sitire, & esurire. Ideoque *omnes homines* (inquit Philosophus) *naturâ scire desiderant*. De An. l. 3. t. 14. Acad. l. 4. Initio Metaph.

Cic. Off. l. 1. *siderant. Omneſq; trahimur, & ducimur ad cognitionis appetitionem*, in qua primus aggreſſus vocatur quæſtio. Ἀπορία ἐυπορίαν ἐμποιεῖ. At

Plato.

Mens cur tanto flagrat amore
Veri tectas reperire notas?
Scitnè quod appetit anxia nôſſe?
Sed quid nota reſcire laborat?
Et ſi neſcit quid cœca petit?
Quis enim quidquam neſcius optet?
Aut quis valeat neſcita ſequi?

Boet. de con. phil l. 5. met. 3.

Eiuſmodi Platonis ſophiſmate olim interpellatus erat Ariſtoteles. Placuit enim huic noſtro Philoſopho omnem *cognitionem dianoeticam*, id eſt, intellectiuam, aliqua rationis diſquiſitione comparatam eſſe, *ex antecedente cognitione*. Quid ergo opus eſt quæſtione, quidue agit diſcurſus?

In Mnemon. Poſt l. 1. c. 1. 6. Eth. c. 3.

Ouid. Triſt. l. 4. el. 3. *Ars tua Tiphy iacet, ſi nõ ſit in æquore fluctus*

Certè licet aliquatenus animus iam prius comprehenderat, fluctuat tamen, nec adhuc certus.

Boeth. ibid. *Igitur quiſquis vera requirit,*
Neutro eſt habitu, nam neque nouit
Nec penitus tamen omnia neſcit.

Hinc quæſtionem mouet, hinc diſquiſ-

tionem

tionem instituit. Ipsa autem qualis qualis est vnde oriebatur prima notitia? Res quidem ardua, & suis vndique difficultatibus obstructa: controuersia ab heroicis vsque deducta temporibus, in qua plurimi priscorum Philosophorum sua ingenia iam olim exudârunt: Alij ad Platonicorum *reminiscentiam*, & ad κοινὰς ἐννοίας, *communes notiones*, quas *Stoici* προλήψεις *vocant*, Cicero vertit *anticipationes*, vnanimiter confugerunt, quasi σπινθηρὰς, καὶ ζώπυρα, *scintillas, & igniculos*, omnis comprehensionis, sine quibus nec *quæri posse nec disputari putant*. Alij cum nulla sit anima priusquam corpori infundatur, nihil iam ei nisi per portas sensuum intromitti volunt. *Quæ primò igitur ea inductione, cognoscuntur*: Καὶ γὰρ, καὶ ἡ ἀίσθησις ἀπὸ τοῦ καθόλου ἐμποιεῖ. *Cognitionem vllam inesse à natura, & in animo non concio latere*, quasi succo cepæ inscriptam, ἄτοπον, *absurdum* videbatur Philosopho. Hinc acres vtrinque pugnæ, dissertationes satis quidem litigiosę, & non nimis necessariæ: Suas habent vtrinque propugnatores pancraticos, mutuò se oppugnantes & expugnãtes se inuicem.

4. *Acad.* 1. *de nat. Deorum. De leg.* l. 1.

4. *Acad. post.* 1. *t.* 134.

2. *Post.* c. 19. *Phy.* l. 7. c. 20

2. *Post.* t. 101 *Cœl. Rhod.* l. 3. c. 1.

Hos ego: sed motos præstat componere fluctus. Equidem illa mentis celeritas, rationis scilicet indagatio, non est obstetrix animorum, ad ea educenda, quæ mens à natura conceperat, comparata, *qualem dixit suam Socrates per interrogatiunculas crebro interciſam disputandi formulam*, sed τὸ αἴτιον καὶ ποιητικὸν, vis effectrix, & generatrix, vtpotè quæ intelligibilia ex sensibiliũ potestate educens, eadem in potentiam intellectus (qui hoc tantum est ὅτι δύνατον) iuducit:

Vid. Sen. ep. 94. & ep. 108.
Plutarc. in Quæst. Plat.
De An. l. 3. t. 16. & 17.
De An. l. 3. t. 5.

Apis matinæ
More modoq́,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus, vuidiq́,
Tiburis ripas.——
Hor. l. 4. car. od. 2.

Aliqua viſa sic mens arripit vt his statim vtatur; aliqua sic recondit — è quibus memoria oritur, cætera similitudinibus constituit, ex quibus efficiuntur notitiæ rerũ, quas Stoici tum προλήψεις vocant. Atque ita quidem animus eleuatur ad conceptum intelligibilem. Ijsdémq; prorsus rationis gradibus procedit ad rem conceptam æstimandam. Ex multiplici enim obseruatione serò colligitur singularium experientia

Cic. 4. Ac.

rientia, ab experientia tacite abſtrahitur vniuerſalium axiomatum intelligentia, de intelligentia denique deducitur particularium concluſionum ſcientia. Cum igitur anima per ſenſus miniſterium, *extraſe procumbens*, ſolas ab externis rerum figuris, & accidentibus, exortas ſpecies cognoſcat, ſolas retineat violenter impreſſas, in ſolas ante pedes obuerſantes appetitu, velut impetu, rapiatur, oblita præteriti, ſecura futuri: per rationis ductum poteſt etiam ſubtiliſſimas, & ab omni ſenſu remotiſſimas, vtpote ab intimis rerum naturis abſtractas formas intelligere, quaſi intus legere; eaſdem in recordationis penu ordine diſpoſitas tutiſſime reponere, & ſicubi opus eſt certiſſimè repetere, eaſdemque ad placitum æſtimare, & ad bona denique in ijſdem longe proſpecta iuſta voluntate promoueri. In omnibus autem anima naturam ſequitur ducentem comitante ratione, non trahentem impellente neceſſitate. *Morn. de ver. chr. rel. c 15.* *De An. l. 2. c 60.*

Quin etiam res ſenſibus obiectæ ſæpius ſub falſa ſpecie turpiter imponunt animæ, eamque ob vicinam inter ſe

similitudinem sæpissime deludunt. Atq; *ea est maxima vis seu vnica potius, quæ potest menti afferri si verisimilis ratio ostendatur, ad reliquas omnes violentias immobili.* Ratio autem (quæ & mens à metiendo dicitur) vnumquodque enucleatius explicans, pensiculatiùs expendens, vndiq; diligenter rimans, obductas dispellit tenebras, fallacias discutit, & quod *fibris creuit opimum pingue* expurgat, & quæsitum in pura puta naturæ subtiliata simplicitate animo præsentat. Vnde clarius singula eluceſcunt, quam forinsecùs existunt, vbi in materiali opaco refranguntur. Nec enim aliud est illud agentis *intellectus lumen, quam rationis per discursum influxus.* Qui homini magnam efficit capacitatem, rectitudinem, libertatem. In mentis & voluntatis sententia libertatem arbitrij, in phantasiæ apprehensione, & recordatione capacitatem, in singulis rectitudinem, & certitudinem. Omnis denique rationis disquisitio in eo ponitur, vt à qualibet quæstione, siue ea orta sit à sensu, siue ab alia quacunque confusa cognitione, animum ad certam comprehensionem promoueat.

Viues 2. de an.

Ratio lux, lumenq; vitæ. Acad. 4. Mor. de Ver. chr, vel. c. 15. De An. l. 1. t. 82. Eth. l. 3. c. 3. Plut. de vir. Mor.

promoueat. Quandoquidem omnis æstimatio tam speculatiua, quæ est scientia, quam practica, quæ est electio boni, omnis scilicet sententia, alicuius est ratiocinij conclusio. Τὸ γὰρ ἠρεμῆσαι καὶ στῆναι τὴν διάνοιαν ἐπίστασθαι καὶ φρονεῖν λεγόμεθα: *Quieuisse & stetisse discursum, id vocamus scire ac prudentem esse.* Definitio autem, quæ est actus phantasiæ, perinde se ad collatiuum discursum habet, vt conclusio ad illatiuum. Νῦν ὥσπερ συμπεράσματ' οἱ λόγοι τῶν ὁρισμῶν εἰσίν: *Orationes definitiuæ sunt tanquam conclusiones.* Soluitur enim per disquisitionem quæstio simplex in definitionem, complexa in sententiam. Ipsa etiam vox simplicissima (nomen enim est implicita definitio) præsupponit discursum. ἵστησι γάρ ὁ λέγων τὴν διάνοιαν, ἡσυχάζει δ' ὁ ἀκούσας ἠρέμησε: *Dictionem efferens sistit disquisitionem, & qui audiuit, acquieuit.* Nolo in re parum dubitanda argumentis vti minùs necessarijs. 7. Phy. t. 20. De An. l. 2. c. 2. t. 12. De inter. pr. c. 3.

Anima (est enim animus omnia concludere) velut per rimulam quandam, procul positam veritatem aspiciens magis quam discernens, ex naturali appetitu mouet quæstionem. Ratio protinus

hac illac vndiq; discurrendo quęsitũ sedulo sectatur, vsq; & vsq; dũ inueniat, inuentum intellectus apprehendit, apprehensum recordatio veluti in carcerem rapit, & custodit, ipsiusque iam comprehensi nomen oratio tanquam præco palam pronunciat. Dehinc ad tribunal trahitur, vbi etiamnum ratio accuratum examen instituit, argumenta tanquam tot testes in medium producit, mens demum concludens secundum allegata & probata fert iudicium, quod voluntas affectu prosequitur. Vtriusq; sententiam oratio protinus enuntiat, eamque si expedit manus exequitur. *Intellectus* (vt acutissimè Scaliger) *manus est ratio, rationis oratio, orationis manus.* Tres enim partes, rationem, orationem, manum habet homo naturæ suæ maximè accommodatas.

Scal. exerc. 356. Ar. de An. l. 3. t. 38.

Atque iste est formalis processus, & legitimus actus in foro μικροκόσμῳ, super omne *nisi-prius*, aut quæsitum. Quin (vt sudductis tandem calculis summã constituam) tabula apposita (quam non sine aliqua animi contentione delineaui) rẽ nobis totam ad oculos exponet. ☞ 1.

CAP.



Referatur hęc Tabula



oula ad pag. 24 .I.

CAP. 5.

De Ingenio seu dispositione.

PRæter primam illam operandi potentiam, quam cuique rei iuxta speciem suam natura attribuit, alteram etiamnum facultatem mater benignissima vnicuique singularem accommodauit, hanc scilicet, quæ vnumquodque disponit ad actum illius potentiæ exercendum. Quam ideò nonnulli potentiam secundam nominant, nos potius dispositionem, aut, quod magis placet, ingenium vocabimus. Dicimus enim rem quamque sua indole, suopte ingenio, ad hoc vel illud procliuem. Iniqua consuetudo in more posuit, vt per ingenium penè ingenuam, & generosam dispositionem vbique intelligamus, & vt idem fere significet Latinis *ingenium*, quod Græcis εὐφυία: vnde bardum, & vappã, betã, & fungum. cui *in læua parte mammillæ nil salit*, homuncionem vulgo dicimus nullius ingenij, solisq; cordatis & melioris luti hominibus ingenij titulum damus.

Si suam voci potestatem permittamus, ipsiúsque vigorem rigore nescio quo

quo rigido, & frigido non conſtringamus, ingenia (ni fallor) tot tarda, obtuſa, tortuoſa, quot expedita, acuta, ingenua licebit appellare. Ita enim placuit primo nominum impoſitori ingenium humanum ampliare, vt cum ipſe ex naturæ largitione ingenium obtineret vnum illud fœliciſſimum, quo ad omnes omnium ſuarum potentiarum operationes edendas commodiſſime eſſet comparatus: tot poſteris ſuis iure hæreditario reliquerit ingenia, quot ſunt mala. Nec vnum eſt reperire poſſ vniuerſam illam naturæ defectionem, non decoctum, vappidum, nequam. Ita fuit ille natura perfectus, vt non eſſet mancus, etſi eſſet non abſolutus. Habuit quidem, quo poterat ſuo ſtudio proficere, etſi natura nondum didicerat deficere. Poterat tum quidem anima ἐντελέχεια, *perfectihabia* (vt vertit Hermolaus) non inique nuncupari; nunc autem (pace dixero Peripateticorum) ἐνδελέχεια, *continuata*, & *perennis motio* cum Cicerone non inuenuſte dicetur. Vtpotè quæ continuo, & perenni ſtudio agitata ægre poteſt, imò ne poteſt quidem ad illam perfectihabiam

Vid. Iun. Theol. theſ. 17. &c.

Vid. pulchrã diſp. Sca. exerc. 307. 39. Amerbac. de An. l. 1. c. 2. 3 Melanc. de An. & Vi. de An. Cic. Tuſc. l. 1. Polit. Miſce. Cent. 1. c. 1.

biam, à qua defecit, reſtitui. Dux gregis eryngiō illud malum dēte furtiuo carpſit, totáque ouium turba protinus conſtitit. Et eò iam inde omnia noſtra conſilia & ſtudia vnicè contendunt, vt naturæ iacturam reſarciant. Πᾶσα τέχνη, ἡ παιδεία, τὸ προσλεῖπον βέλεται ἡ φύσεως ἀναπληροῦν: *Omnis ars, & diſciplina naturæ defectum ſupplere vult. Nam & omnino ſupernacua eſſet doctrina, ſi ſufficeret natura. Hæc eſt ſapientia, in naturam conuerti, & eo reſtitui vnde publicus error expulerit.* *Ar. Pol. l. 7. c. 17.* *Quint. l. 2. c. 13.* *Sen. ep. 94.*

Neque vero potentiarum defectus iſte cenſendus eſt, hæ enim ſalua manente ſpecie, tolli non poſſunt nec labefactari. Ideoque rectè Cicero; *Quibus ratio à natura data eſt, iis etiam & recta ratio datur.* *Cic. de leg. l. 1.* Horrenda autem κακόηθεια ea eſt, qua ad vnum vniuſcuiúſque animus laborat, vt cum nemo non potens, nullus tamen non ineptus, ad hominis officia præſtanda reperiatur. *Homo homini quid præſtat? Stulto intelligens quid intereſt?* *Terent. in Eun.* Certe ſi hoc nihil aliquid ſit, quod hic ſaltem minus ineptiat. Habemus enim & nos innata quædam melioris naturæ rudera. Ingenia habemus omnes qualia

qualia

qualia ſunt, ingenita, certe manca, & mutilata, ſi non perdita & profligata. Ita tamen vt reliquis aliqui magis vigeant ingenio, & valeant, alijque ad alia naturæ munera exequenda fœlicius ſint diſpoſiti. Ἄλλο γὰρ πρὸς ἄλλο πέφυκε. Ita enim à natura conſultiſſimè comparatum eſt, vt homines animalia politica mutuam locantes operam, alij reliquis præeſſe, omnes omnibus prodeſſe poſſint: cum non apud ſingulos omnia, apud omnes ſingula vtcunq; habeantur. *Habet enim vnumquodq; ingenium (ſicut multorum fert opinio, & res ipſa docet) peculiare munus ſuum ſibiq; proprium.* Quin igitur apprimè cauendum eſſet (quod *vnus ille ex omni memoria Alabadenſis Appollonius inter ſuos diſcipulos feciſſe perhibetur*,) vt quiſque ingenium ſuum ad illud ſtudium remittat, ad quod ſe maximè aptum, habilem, & idoneum perſenſerit. Etenim per φύσιν, quæ ad habitum primo conducit, Philoſophus requirit non ſolam naturalem potentiam, ſed & diſpoſitionem ad actum, ingenium idque ingenuum, εὐφυΐαν denique & aptitudinem.

Ar. Eth. l. 6. c. 8.

Epict. enchir c. 34.

Viues. de corrup. Art. l. 5.

Cic. in orat.

Ego

—— *Ego nec ſtudium ſine diuite vena.* *Hor. de Art. Poet.*

Ideoque non quodlibet animal rationale, nec quicunque vultu incedit methodico (neque enim quiſque talis eſt animo, qualis inceſſu venit) ſed is, qui intus eſt apte diſpoſitus ad vſum rationis, idoneus eſt logicæ alumnus. Quali ingenio ſi quis præditus eſt, haud facile dixero an idem non ſit ad omnem animi virtutem maxime comparatus. *Quando-quidem virtus nihil aliud eſt quàm rationis abſolutio. Quoniam autem non cum perfectis hominibus viuitur, ſed cum ijs in quibus præclarè agitur, ſi inſunt ſimulachra virtutis, etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino eſſe negligendum, in quo aliqua ſignificatio rectæ rationis appareat.* Fouendum autem eſſe ita cuiuſque ingenium maxime, & arte excolendum, vt *ex primis naturæ elementis, virtutis quaſi carmen efficiatur.*

Cic. de Fin. l. 5. Et Sen. ep. 76. Cic. l. 1. off.

Idem, de Fin. l. 5.

—— *Nec rude quid proſit video ingenium.* *Hor. de Art. Poet.*

Et adhuc quidem ita nobis progreſſa eſt oratio, vt ea duceretur omnis à prima commendatione naturæ. Itaque *noſtrum eſt (quod noſtrum dico, artis eſt) ad ea principia, qua accepimus, conſequentia exquirere,*

Cic. de Fin. l. 5.

quirere, quoad sit illud, quod suscepimus vtcunque absolutum:

—Res & coniuret amicè.

Ibid.

Cap. 6.
De Habitu & Industriâ.

Scal. exerc. 307.2.

ANima non est tam angustis terminis cohibita, vt hoc tantum sit quod semper est à natura, sed habet quo se per industriam promoueat, neque mutatâ essentiâ vt suum adipiscatur οἰκεῖον illud *naturæ accommodatum*. Animus enim *spiritus* (vt definit Seneca) *quodam modo se habens*, cui *in quacunque positione mentis* ipsa est vel quies inquieta, semper è potentia in actum se soluens, continuo motu agitatur, vsque dum secundę fiat naturæ partus, quando ingenium in consuetudinem, *impetus in habitum* transit magis quàm transmutatur. Atque *inter ingenium & diligentiam perpaululum loci reliquum est arti. Sapiusq́*, ait Cicero, *ad laudem & virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam.*

Cic. de. fin. l. 5. Ac. 4. Sen. ep. 50. Ep. 64.

Sen. ep. 16.

Cic. in Orat.

Pro Archia poeta.

Quod vel inde constat, quia prius artes

tes & virtutes quam literæ extiterunt. Quandoquidem poſt illum hominis defectum, ingenium quod reliquum erat, ſatis rude & inhoneſtum, ſola induſtria munitum, impetu quodam ad naturæ iacturam reſarciendam proceſſit. Et primo ad neceſſitatem ſe accommodans, victum & amictum, medicinam deinde, & ædificia ſuppeditauit. His partis riteque conſtitutis, tranſijt à neceſſitatibus ad commoditates, vbi familiæ, vici; querelæ, iudicia; mœnia, & arma exorta ſunt. Et vbi viſa ſunt omnia quieta & pacata, ex corpore voluptas, ex animo ſuperbia, extiterunt; vtriſque ſeruitum eſt. Elegantiſſime Viues (cuius in hac re veſtigia ſequor) *neceſſitati* (inquit) *ſatisfactum eſt paucis, & parabilibus; commoditas plura adiunxit; voluptas & ſuperbia ſeſe complexæ, nullum modum, nullum finem inuenerunt.* Ita primo inuentæ erant abſque literis artes, & fere innumerabiles ſubito extiterunt: & quo quęque fuerunt ſordidiores, eo quod magis erant ad vitam neceſſariæ, citius proruperunt. Neque tum ductum philoſophiæ expectare licebat, ingenium

Viu. de trad diſcip. l. 1.

vero solertiæ facem præferebat:

Manilius. *Per varios vsus artes solertia fecit,*
Ingenio monstrante viam.——

Cumque disciplinæ animum sero tandem occupassent, adhuc tamen industria & exercitatio in schola virtutis proximum naturæ locum tenuerunt. Vt enim dederimus aliquem omnibus literis instructissimum, erit tamen, nisi accesserit exercitatio, ad omne hominis officium ineptissimus. Etenim quodcunque disciplina acquiritur, *descendit in memoriam* (vt loquar cum Seneca) *habitus vero in ingenium transit*, vt ea cibaria quibus corpus habilius fit & pugilius, non modo in stomachum recipiuntur, sed naturali calore concocta in succum, & sanguinem, & naturam aliti digeruntur.

Sen. ep. 84. Vide Macr. Sat. l. 1.

Est enim habitus nihil aliud, quam ingenium industria confirmatum, quo magis disponitur subiectum ad actum alicuius potentiæ exercendum. Habitus περὶ τὰ οἰκεῖα πάθη διατίθησι τὸ ἔχον. Neque *enim aliud virtus quàm in se perfecta, & ad summam perducta natura.*

Ar. phys. l. 7. t. 18. De leg. l. 1. De Inuent. l. 2.

Ideoque miror, quid sit, quod philosophantes ita solicitos teneat de subiectis

iectis habituum, an morales in appetitu ſenſitiuo, iraſcendi, & concupiſcendi; an intellectuales in ipſa mente, an in memoria locentur; an artes denique ad digitos, eloquentia ad linguæ punctum habeantur. Quandoquidem omnis habitus, ita ineſt homini vt naturalis diſpoſitio, cuius eſt perfectio & complementum.

Paulum intereſſe cenſes ex animo omnia, Ter. in And.
Vt fert natura facias, an de induſtria. Act. 4. Sc. 4.

SECTIO SECVNDA.

CAP. I.

De Virtute & Doctrina vniuersaliter.

Entum est ad partem operis maxime destinatam, cuius quidem onus (vt cum Fabio conquerar) *si tantum opinione prima concipere potuissem, quanto me premi ferens sentio, maturius consuluissem vires meas.* Iam vero pro virili perferendum est, atque hinc protinus id nobis inchoandum, à quo initium sumunt, qui priora omiserunt. Necessariũ enim videbatur ad vniuersam virtutis doctrinam constituendam, aliquam naturæ considerationem præmittere; & altius nobis principia, è media quidem philosophia semel petenda duxi, ne eadem nos manerent sæpe deinceps repetenda; neue in procliui currens oratio dum prætermissa identidem repeteret, inchoata etiamnum persequeretur, cum

Quin. Inst. l. 12. c. 1.

ad

ad extremum tandem veniret, in ſalebris adhuc hærere videretur. Iam autem ſatis fore cuique parti factum puto, ſi eo contextu totum conſtruatur, vt *primis reſpondeant extrema, media vtriſque:* *Primo ne medium, medio ne diſcrepet imũ.* Cic. de Fin. l. 5. Hor. de Art. Poet.

Doctrina eſt induſtriæ regula, methodus, ſeu recta ratio. Solertia quidem doctrinam peperit, doctrina autem ſolertiam dirigit. Vt cum habitus induſtriæ, & exercitationi referatur, virtus doctrinæ, & inſtitutioni tribuenda ſit: ea enim regina vitæ eſt, & moderatrix. Vis ergo naturæ eſt; habitus induſtriæ; virtus doctrinæ. Virtus enim recta cũ ratione ſemper coniungitur. Ideoque vita hominis partim natura conſtat, partim diſciplina. Nam poſt hominem natum, doctrina nutritionem, educationem, inſtitutionem, totius denique vitæ moderationem ſuſcipit. Etſi igitur virtus quoſdam impetus à natura ſumat, tamen perficienda eſt doctrina. *Nihil eſt enim, quod aut natura extremum inuenerit, aut doctrina primum, ſed rerum principia ab ingenio profecta ſunt, & exitus diſciplina comparantur.* Eth. l. 2. c. 1. Ad Heren. l. 3.

Hor. l. 4. car. od. 4. *Doctrina sic vim promouet insitam,*
Rectiq; cultus pectora roborant.

Quod si aliqui fortassis in heroicis temporibus, beneficio ingenij præstantes, absque vlla artis disciplina claruerunt, plurimos iam habent similes negligentiâ, pauciſſimos naturâ.

Neque etiam doctrinam cumulatissimam absque ingenio & industria, omnino valere arbitror. Nam si virtus in sola doctrina ponatur, quid est quod ij qui tot libros deuorârunt, animi sint ita macilenti, aurei capitis, plumbei cordis, ad omnem vitæ virtutem impotentes? Pauci rhetores (inquit ille) boni sunt oratores, & non omnes philosophi bene morati. *Quotus enim quisque eorum inuenitur, qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ fecerit, quique obtemperet ipse sibi & decretis suis pareat? Pars virtutis disciplina constat, pars exercitatione.* Quin igitur omnino hoc intelligendum puto, ita adhibendam ingenio doctrinam, vt in ea non conquiescat, sed ex ea operetur: *Non enim paranda nobis solùm, sed fruenda sapientia est.*

Cic. Cic. Tusc.

Virtus

Virtus virilis animi ſtatus eſt, in quem naturæ inchoatio, induſtriâ, & doctrinâ, tanquam cibo & exercitio, nutrita, & confirmata adoleſcit. Ideoque tot diuerſas animi virtutes licet numerare, quot ſunt naturales ipſius ad varios actus potentiæ. Vt igitur experientiam memoriæ, reliquæ imaginationi muſam tribuamus: Intellectum, Scientiam, Sapientiam, Prudentiam, & Artem ad iudicium mentis; virtutes deinde morales ad voluntatis affectum referamus, ſola ea quæ fere vna reliqua eſt, Logica, ipſi rationi relinquitur. Quibus ſi adiungatur eloquentia illa ſeminaria & prolifica facultas, qua animus potens eſt generare ſibi ſimilem, nihil iam vltra videtur ad vitæ aut complementum, aut ornamentum poſſe accedere.

Philoſophiæ (ea enim voce omnem recte inſtitutam doctrinam intelligunt) variæ diuiſiones vulgo habentur. Alia in dogmaticam, Academicam, Scepticam; alia in ſpeculatiuam & practicam: alia, quæ eſt antiquiſſima, in rationalem & realem, & huius in naturalem & moralem: Cicero *tribus fere verbis diſtribuit*

in natura obſcuritatem, differendi ſubtilitatem, in vitam atque mores. Ipſamque *Philoſophiam aſſimilant animali, oſſibus ac neruis Logicam, carneis partibus Ethicam, animæ Phyſicam.* Rurſus *cum agro comparant, & ſepem circumiectam eſſe logicam, terram & arbores phyſicam, fructus ethicam volunt.* Atque ex vniuerſo diſciplinarum orbe, ſeptem quas vocant liberales artes, tres triuiales, quatuor quadriuiales, duobus verſiculis circumferuntur.

Cic. Diogen. in Zenon.

Gra. loquitur, Dia. vera docet, Rhe. verba colorat,
Mu. canit, Ar. numerat, Geo. ponderat, Aſ. colit aſtra.

Tot etiam mechanicas eſſe artes voluerunt, quas totidem numeris conſtringunt:

Lana, nemus, miles, nauigatio, rus, medicina, His theatrum ſocia: ſunt hæc mechanica dicta.

Atque hæc per ſcholas decantata ſunt. Ego verò, quod vſu venire ſolet iis, qui in itinere, multis meandris, & anfractibus, ſalebris, & præcipitijs, identidem retardantur, viam mihi nouam, per orbem

in natura obſcuritatem, diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atque mores. Ipſamque *Philoſophiam aſſimilant animali, oſſibus ac neruis Logicam, carneis partibus Ethicam, animæ Phyſicam.* Rurſus *cum agro comparant, & ſepem circumiectam eſſe logicam, terram & arbores phyſicam, fructus ethicam volunt.* Atque ex vniuerſo diſciplinarum orbe, ſeptem quas vocant liberales artes, tres triuiales, quatuor quadriuiales, duobus verſiculis circumferuntur.

Cic. Diogen. in Zenon.

Gra. loquitur, Dia. vera docet, Rhe. verba colorat,
Mu. canit, Ar. numerat, Geo. ponderat, Aſ. colit aſtra.

Tot etiam mechanicas eſſe artes voluerunt, quas totidem numeris conſtringunt:

Lana, nemus, miles, nauigatio, rus, medicina, His theatrum ſocia: ſunt hæc mechanica dicta.

Atque hæc per ſcholas decantata ſunt. Ego verò, quod vſu venire ſolet iis, qui in itinere, multis meandris, & anfractibus, ſalebris, & præcipitijs, identidem retardantur, viam mihi nouam, per orbem



Referatur hęc Tabula ad pag. 39. ☞. 2.

orbem humani ſtudij ſelegi. Vniuerſæ enim eruditionis ordinem, ita maximè diſponendum puto, vt cum quilibet habitus ad ſuam naturalem inchoationem redigatur, quæque etiam doctrinæ pars ad habitum, cuius rectam rationem continet iuxta applicetur. Via hæc etſi iam noua ſit & inſolita, terendo tamen fiet fortaſſis plana & amœna. Rem nobis totam ſubſequens tabula vtcunque exhibebit. ☞.2.

Atque ita ſuus eſt homini orbis patefactus, in quo & contemplans otio frui poteſt cum iucunditate, & munere ciuili occupatus in negotio cum dignitate verſari. Encyclopaidia hæc vocari ſolet, cuius quidem ſingulæ partes, ſingulæ artes appellantur, quæ noſtras tum actiones, tum cogitationes in gyrum redigunt, redactas dirigunt, & ſicubi errauerint, corrigunt & moderantur. Deus bone, *ſcientia noſtra quotula eſt noſtræ ignorantiæ particula!* *Mor. de ver. Chr. rel. c. 16*

CAP. 2.

De Logica eiusq; Doctrina.

DIalecticæ omnes identidem occinimus, virtutem eius tam pauci nôrunt, quam multi se nôsse arbitrantur; imò tam nescimus omnes, quam scire omnium refert. Quod si veram illius naturam non possimus perfecte assequi, ipsius tamen speciem magis verisimilem insectemur. *Alterum quod non possumus communi hominum infirmitati, alterum nisi velimus singulari vnicuiusq; vitio attribuendum est.*

Logicam eam esse virtutẽ qua perfecte disponitur homo ad vsum rationis, & vox ipsa palam profitetur, & rei natura comprobat, & consensus omnium Philosophorum maxime contestatur. Et quod non leuem meæ sententiæ authoritatem allaturum video, Keckermannus ille accuratissimus Logicæ inuestigator, in Physicis, Logicam esse agentis intellectus habitum mecum asserit, probat, iterum, iterumque inculcat. Quod si verum sit, vt eadem sit facultas ratio & agens intellectus, & illius vtriusque habitus

Kecker. in Phys. Syst.

bitus vna Logica, *quis aberrabit à ianua?* Nihilominus non grauabor ad limen etsi satis tritum digitum intendere. *Met.l.2.t.1.*

Quin ohe mea Ægeria, vbi tu agis Logica? Nę tu egregia es rerum dispensatrix; æquissimam tu quidem œconomiam in artium familia herciscunda prę-stitisti, quæ nullum tibi locum relinqueris. Aut si alicubi agas, dic sodes quid pensi habeas? Res enim naturæ omnes, actiones etiam vitæ, vtrarumque expressiones iam pridem occupatæ sunt. Nam id omne quod mente, aut animo comprehendi potest, aut eloquutione, vel manus arte exprimi, ad suas disciplinas redactum est, vt Logicæ reliquum sit nihil. Quin dic tandem; quæ tuo debentur muneri?

Omnia habeo, nec quicquam habeo,— *Ter. in Eun.*
Nihil cum est, nihil defit tamen. *Act. 2. Sc. 2.*

Vah ludicrum, num tota facta es sophista? Aut solue gryphum. Quid hoc omne & nihil quod habes & non habes? Omne quæsitum dicis? Exquisita sane responsio. *Vereor equidem, vt vere dicatur* illud Poetæ;

Quærit, quod nusquam est gentium, reperit tamen. *Plaut.*

tamen. Imo non; ipsa sanctissima, καθολικωτάτη, quærit quodcunque est entium, nec quicquã retinet tamen. Simul enim ac singula constituta sunt, aliena fiunt.

Met.l 4.t.5. Ἔστι ἡ διαλεκτικὴ πειρασικὴ, περὶ ὧν ἡ φιλοσοφία γνωρισικὴ: De ijs quærens disputat Logicus, quæ soluens comprehendit Philosophus. Neque tamen Logicum nostrum Græculum esse aliquem esurientem, velimus, qui sit eo nomine

Iuuen.Sat.3 *Grãmaticus, rhetor, geometer, pictor aliptes, Augur, schœnobates, medicus, magus omnia-*

quique *vt Gorgias ille Leontinus de*

Cic.de or.l.1. *omnibus se paratum dissererе ostentet,* sed qui rationem habeat recte differendi de eo quodcunque quæritur. Atque inde esse sentio quod philosophus in suis Analyticis singulas argumentandi formulas per exempla ABCdaria illustrauerit, vt cum Logica nihil omnino comprehendat, amplissimum tamen munus habere intelligatur. Nam si entia quæ possunt concipi omnia velimus voce significare, nihil aliud quam literas Alphabeti varie transpositas efferre possumus. Διαλεκτικοὶ διαλέγονται περὶ ἁπάντων. Etsi igitur docenti Logicæ aliqua

Met.l.4.t.5.

res

res certa non ſubjiciatur tractanda, ſingularum tamen inquiſitio & diſquiſitio muneri Logicæ, cum in vſu ponitur, objiciuntur. Aut ſi nihil obiectum eſſet muneri, niſi quod ſubiectum eſt inſtitutioni logicæ, *de modalibus abundè guſtaret aſinus.* Nam præter modos entis, modales propoſitiones, modos & figuras, ſciendi denique modum (quibus nullus eſt modus) propemodum nihil ſaperet logicus. Ipſe vero cum nihil comprehendat, omnia tamen tranſit, & tranſcendit, & perluſtrat vniuerſa.

Munus logicæ eſt diſcurrere, ſiue placet illud differere, ſeu diſquirere appellare. Diſcurſus autem duplex eſt: ordinatiuus, ad rectam imaginationem faciendam; illatiuus, ad ſententiam. Hic totam logicam ita fere occupauit, vt ordini nullus locus relinquatur. Niſi quod aliqui, cum primo in loco lexicon technologicum poſuerint, deinde Grāmaticam ſyntaxin adiecerint, poſtea cōfusè omnia ad ſyllogiſmum reuocârint, ad calcem (ac ſi prius æſtimanda res eſſet, quam apprehendenda) de ordine neſcio quæ obtrudunt, eoque quo in

libris

libris componendis vtimur, aut compositis resoluendis, qui si vlla ratione certus definiri possit, id ad rhetorem spectat, non logicum.

Nec possum satis illorum ingenia demirari, qui cum ad supplementum, dicam, an complementum organi, aureum Aristotelis librum de prædicamentis, primo in loco ponendum recte quidem putent; ipsum tamen philosophum, inscientiæ aut incuriæ, quod ordinem penitus omiserit, accusant. Et quid ipsi quæso in prædicamento spectant? certe non res, sed rerum seriem, ordinem scilicet secundum sub supra & iuxta, *quis solus est logicæ, & quidem solius.* Id enim ipsi non confitentur modo sed profitentur. Cumque omnis ordo sit aut subordinatio, aut coordinatio, an non vtriusque rationem, philosophus optime complexus est? Nam in primo capite Categoriarum, (quod illi inscribunt tres definitiones) ipse de prædicato agit: in secundo (cui illi titulum faciunt Duas diuisiones) ipse subiectum tractat: in tertio (cuius illi argumentum scribunt Duas regulas) ipse prædicati & subiecti

Keck Syst. l. 1. c. 2.

secundum

ſecundum ſub & ſupra diſponendi rationem inſtituit. Deinde reliquos ſubordinandi modos ſecundum prius, & poſterius, tandem ad Simul, & ad ſingulos coordinationis modos accedit in oppoſitis, vbi res è regione iuxta coordinatur. Quin etiam *ordo quid aliud eſt, quam ratio? Ratio autem plurium ad ſe inuicem habitudo.* Quod ſi hæc non ponatur in ea parte logicæ vbi ſecundæ notiones prædicationis, ſubiectionis, identitatis, varietatis, conuenientiæ, diuerſitatis, oppoſitionis denique & id genus reliquæ, rebus ex mutua collatione imponuntur; equidem ea, quam ita decantamus, Logica, eſt merè ἄλογος & ἀσύστατος. Certe quidem aut hæc rerum ſimplicium inter ſe ordinatio eſt diſcurſus Logicus, quo animus à confuſa ad determinatam, ab incerta ad certam apprehenſionem promouetur, aut Logicã *quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus.* An non hic ordo eſt illud agẽtis intellectus lumen ita per philoſophorũ ſcholas celebratum? Appello vel tritum os vulgi. Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt: Quo quæſo lumine, an non ordine

Phy. l. 8. t. 15
Suel. 5. elem.

ordine quem habent ad inuicem? An non etiam ex vniuerſalium & particularium ſubordinatione, per totam ſeriem lumen transfunditur, quo vnumquodque in ea poſitum definite innoteſcat?

Quemuè alium ordinem in libris componendis certum definitumque poſſit quiſpiam comminiſci, ego quidem non video. Nam cum ordo cuiuſq; literariæ molitionis in deductione thematis conſiſtat, ſi analyſis libri cuiuſpiam recta cum ratione fiat, ſubordinationem iſtam & coordinationem tota ſerie reſonabit.

Quin.l.2.c. 14. Omnis enim reliquus ordo *prudentiæ eſt, non præceptis technicorum. ſed multo labore, altiſſima prudentia, præſtantiſſimo conſilio definitus.*

Cic.Ac.4. Atque hic eſt ordo ille *tot ſeculis, ſummis ingenijs, maximis ſtudijs conquiſitus,* omnibus expoſitus, neq; tamen ab vllis, quãtum ſcio, rite obſeruatus. Hæc eſt illa magiſtra intelligentiæ, & mater memoriæ. Reminiſcentia enim diſcurſus eſt rationis; atque ipſe hic quidem ordo, quo memoria procedit *ab ipſo nunc, aut alio aliquo, aut à ſimili, aut contrario, aut propinquo*

Ar.de Mem. & Rem.

propinquo, ad ipſum quodcunq; recordationi quæritur, *vt à lacte in album, ab albo autem in aerem, & ab eo in humidum, à quo meminit autumni; hoc quærens anni tempus.* Atque ita recordatio confirmatur, aut etiam, ſi quis fortè ſepulchra legerit, reſuſcitatur memoria, vt & vnumquodque ſeparatim, & cuncta confertim, & ſingula ordinatim promere, ſtatuere, digerere poſſit.

Non neceſſe habeo, nec omnino opus de methodo, quam alteram diſquirendi ſpeciem feci, plura dicere, cum vniuerſa logica in diſquiſitione illatiua ſemper conſumpta fuerit, modo eam non minus eſſe deliberatiuam in rebus agendis, quã diſputatiuam in cognoſcendis, concedatur. Quod nõ minus verum, quam verecunde poſtulatum facile datum video. Tres igitur rationis actus, totus ſcilicet ordo tam commentandi ad apprehendendum quam reminiſcendi ad recordandum, methodus denique deliberandi, veniunt non tam ciuitate logica donandi, quã in ius ſuum quaſi poſtliminio recipiendi. Ipſaque vniuerſa logica diſcurſu, diſſertatione, diſquiſitione occupatur,

patur, vt & dialectica recte appellari possit.

Apprehensio enim & sententia partes sunt animi quidem rationalis, non autem ipsius rationis, ideoque si rectæ sint, fines sunt, non partes, omnis susceptiratiocinij. Ad quas ipsa ratio logicæ artificio exculta bene conducit, vt nihil attineat de illis in Dialectica præcipere. Quod si etiam externa hæc assumenda sint, quid opus erit discursum in extremo loco tandem adhibere, cum absque eo iam prius recta sit imaginatio & sententia, totaque comprehensio bene rationalis? Nam vlterius nullum differendi finem inuenio. Isti autem logicæ magistri eam Demosthenis, Græcæ facundiæ principis, reprehensionem incurrunt, qua *Athenienses increpabat, quod cum solerent reliqui homines prius consulere deinde agere, illi contra cum res actas accepissent, tum demum consilium inirent.* Quin ideo vt vniuersim dicam, obiectum Logicæ est quæstio, munus disquisitio, finis recta comprehensio. Hæc enim si recta fuerit, logica munus circa obiectum bene præstitit, omneque ratiocinium absoluitur.

Rod.l.2.c.1.

Quod

Quod si rectitudo animi finis sit logicæ, apagesis te, tortuosum sophistam, argutum præstigiatorem, dementem armatum, pernicioſum bonarum artium damnum, totiusque literariæ Reipublicę pestem, nefarium dæmonis carnificem, qui fallaci simulatę rationis impetu, alios tecum in erroris scopulos miserrime impingis. Ratio enim sophisticata (sit verbo venia) mater est malorum omnium, vtpote quæ simplicem puræ negationis vacuitatem, in peruicacem prauæ dispositionis errorem, imo in pertinacem, & obstinatam hæresin transfert: *Sophistarum ingenijs omnis hæresis animatur.* Regis tu quidem animum, & plus satis, dum minus id recte facis. *Rex autem eris si recte facias.* Mala mens, malus animus. Neque tamen ideo logica magis abijcienda quàm diuitiæ & opes, *quas facilius inuenies qui vituperet quam fastidiat.* ὁ δὲ σοφιστικὸς οὐκ ἐν τῇ δυνάμει, ἀλλὰ ἐν τῇ προαιρέσει: *Sophisticus syllogismus vitium est non facultatis, sed voluntatis & instituti. Perinde enim est ac si quis regulam qua vsurus est curuet.* Quo igitur furore, quavè insania, correptus ille fuerit, qui Logicam

Hor. ep. 1. l. 1.

Ar. Ret. l. 1. c. 1.

Vide Erast. disp. contra Phil. Para-

celsum, parte 1. iuxta finem.

esse fortassis peccatum in Spiritum sanctum affirmauit, non facile dixero, nec placet Acheronta mouere.

Finibus & terminis Logicæ tandem exploratis, facile erit ipsam definire. Qui Logicam esse scientiam voluerunt, eo errasse videntur, quod institutionem, siue doctrinam Logicæ, ipsum esse habitum, seu hecticam (vt ita dicam) logicam existimabant; vt iste vtique censendus esset Logicus, qui ea, quæ à Logicis traduntur, comprehendisset. Atque *ita vecordiæ* (quod dicit ille) *maculam, deliry lauant atramento.* Nam vt illis maxime concedatur elementarius aliquis sciolus Logicæ doctrinæ scientissimus, hic tamen fortassis erit Logicus adhuc insciitissimus.

Scal.

Nec minus illi delirâsse videntur, qui vt Logicam quocunque demum modo in artium familiam asciscerent, cum nullum ei externum opus potuissent assignare, ad artem mentalem vnanimiter confugerunt. Ac sane euenit his, quod ijs solet, qui vtrumque crus in limo impactum habent: quo namque sese alterutro expedire enixius conantur, eò fortiùs

ac

ac profundius defigunt alterum. Quæso boni viri quid est quod artẽ intellectus habitum appellemus? Aut quænam erit ea ars, quæ non est mentalis? Certe quidem si ego aliquid assequar, in eo posita est omnis ars, si operis extruendi effigiem, cum ratione mens effingat; neque enim (testante philosopho) χειροτέχνας sed ἀρχιτέκτονας artifices appellamus: eos vero peritos vocamus. Quod etiam de syllogismo faciendo nonnulli interpellant, nec quicquam mouent, certe nequaquam promouent. Quid enim aliud est syllogisinum facere, quam syllogisare; atque hoc quam ratiocinari? Atqui animum non magis dicimus ratiocinando facere, quam intelligendo, sentiendo, loquendo.

Met. l. 1.
Mag. mor. l. 1. c. 3. 5.
Vid. Ar. phy. l. 7. t. 20. & de An. l. 2. t. 57. 58.

Quin ergo Logica nec ars nec scientia dici potest, vt Aristoteli definiuntur. Nam qui purus est Logicus, eo quod neque in rebus naturæ aliquid nouerit, nec quicquam potest in rebus humanis facere, purus asinus audire solet:

Dimittitq́, aures vt iniquæ mentis asellus,
Cum grauius dorso subijt onus.——

Hor. Serm. l. 1. Sat. 9.

Ego igitur vt missis aliorum sententijs,

& argumentorum farragine vtrinque ſatis ampla, quid ipſe ſentio (ſalua tantorum virorum reuerentia) libere & breuiter exponam; Logicam ſcil. habitum eſſe non ex quinque illis aliquem exiſtimo.

Quod ipſe philoſophus cum alibi ſubobſcurius innuiſſet, in calce primi & itidē 2. poſteriorū palam pronunciauit: ἐπὶ τῆς διανοίας, καὶ νοῦ, καὶ ἐπιστήμης, καὶ τέχνης, καὶ φρονήσεως, καὶ σοφίας, &c. Neque noſtra ſententia nuda authoritate nititur: habet enim, quibus munitur, ſatis firmas rationes, eaſque ex fontibus ipſius philoſophi depromptas: ita nec illius authoritas ratione caret, nec noſtra ratio authoritate.

Cic. 4. Ac. *Dicam enim nec mea, nec ea in quibus, ſi vera non fuerint, non vinci me malim, quam vincere.*

Eth. l. 6. c. 3. Ἔστω δὲ ὅ ἰς ἀληθεύει ἡ ψυχὴ τῷ καταφάναι, ἢ ἀποφάναι, πέντε τὸν ἀριθμον: *Sint ſane quinque numero, quibus animus, verum enuntiat, vel dicendo, vel negando; Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus.* Verum Logica, quæ tota in quæſtione & diſquiſitione verſatur, ζητεῖ καὶ λογίζεται,

6. Eth. c. 9. αὐτὴ γὰρ *ſcilicet* διανοία οὔπω φάσις; *Nunquam*

aut

aut affirmat aut negat. Ecquis enim ignorat, conclusionem finem esse, non partem discursus, & definitionem perinde se habere ad ordinem, ac se habet sententia ad methodum, ideoque neutrum esse Logicum instrumentum? Logica enim conducit ad rectam comprehensionem, ipsa autem nec affirmat nec negat, nec quouismodo comprehendit. Ideoque quinque illos habitus comprehensionis iudicio tribuentes, solam Logicam rationi retinemus. Quin & rectam rationem Philosophus prudentiæ, arti, scientiæ, & reliquis etiam virtutibus communiter attribuit: Μετὰ λόγου γὰρ ἡ ἐπιστήμη: *Scientia cum ratione coniungitur. Ars est habitus recta cum ratione faciendi. Prudentia recta cum ratione agendi*, quod in cæteris etiam intelligendum est. Esset autem incongruum & iniquum, rectam rationem siue Logicam omnibus virtutibus communem alicui earum vni subigere. *Eth. l. 6.*

Atque ego vehementer quidem miror, tot Philosophos ingenio sagaciſſimos, exquisitos doctrina, industria solertissimos id tam diu latere potuisse.

Vt cum omnes ex philoſophi ſententia εὐβυλίαν à prudentia, reliquiſque habitibus diſtinguendam intelligerent, locum tamen logicæ (cuius εὐβυλία pars vna eſt) ab illis diſtinctum non perſentirent.

6. Eth. c. 9. εὐβυλία διανοίας ἄρα λείπεται: *Bona conſultatio pars eſt Logicæ*, ea ſcilicet quæ in deliberatione cernitur. Vt igitur pars ad partem, eubulia ad prudentiam, ita totum ad vniuerſum, Logica ad omnes quinque habitus ſe habet. Ac vt ex eubulia

6. Eth. c. 9. ἡ φρόνησις ἀληθὴς ὑπόληψις ἔσται. *Prudentia concluſa eſt bonæ conſultationis ſententia:* ita reliquæ habituales ſententiæ quibus affirmatur quidpiã aut negatur,

Phyſ. l. 7. t. 20. alia Logicæ ratiocinia concludunt. Τὸ γὰρ ἠρεμῆσαι καὶ στῆναι τὴν διάνοιαν ἐπίστασθαι, καὶ φρονεῖν λεγόμεθα: *Quieuiſſe ac ſtetiſſe dianœam id vocamus ſcire, & prudentem eſſe*, addo ego, ſapere, intelligere, artificioſe facere.

Ideoque logica paribus deſcendens gradibus, tam alte repetit genus ſuum, quam quinque illi mentis habitus, & primo familiæ nomine Virtus ſalutatur. Quam ſi breuiter finiri velimus, differentiam à potentia illa, ad cuius actum

Logica

Logica disponit, omnino sumendam puto. Nec ego eam aliter definirem, quam vt sit, Virtus rectæ rationis. Verùm cum potentia per suum actum, siue munus cognoscatur, magis fortasse perspicuè exponi potest, Virtus recte disquirendi. Cum etiam actus, seu munus per obiectum suum, & finem maxime innotescat, terminos si sumamus externos, amplius adhuc explicari potest, Virtus disquirendi quodlibet quæsitum, vt recte comprehendatur.

Atque talis est Virtus rationis, siue agentis intellectus, quam Logicam aut Dialecticam appellamus. De qua quidem satis multa quæsita, disputata, tradita sunt: atque tamen (vt illam Aristotelis querelam liceat mihi, veritatis, non nouitatis studio, vsurpare) quisque illorum qui Logicam, adhuc mihi visam, dedit, fortassis βεβοήθηκε πρὸς τὴν χρείαν, τεχνὴν δὲ παρέδωκεν, *ad vsum profuit, sed artem non tradidit.* *Ar. Elen. iuxta fin.*

CAP. 3.
De experientia & historia: de Musa & Poetria.

Viu. l. 2. de cor. Art. Eth. 6. c. 11. Et Iamb.

HIstoria dicitur ab ἱστορεῖν, *quod est videre*, quia τῆς ἐμπειρίας ὄμμα, *illum experientiæ oculum* parit. Ea enim cum sit *lux veritatis*, nos *testes temporum* veluti oculares, ipsarumque rerum expertos efficit: ideoque Historia *memoriæ vita*, experientia vitæ memoria, recte dici potest. Experientia in animo rationali proximum sensui locum tenet, ideoque eam alijs virtutibus præmittendam duxi. Quę quidem suum habet, tum simplicem conceptum, tum sententiam, vtrumque memoria repositum. Experientiam autem non solùm empirici, aut eam, quam aliud quoduis animal sensibile sub ferulâ stultorum didicit, intelligo; sed etiam si qua sedula auscultatione, aut frequēti lectione, è literarum consuetudine habeatur.

Baudius Heroicorum l. 2. 11.

—Tardo venit experientia tractu,
Sed breuior longe via, nec subiecta periclis
Ire per annales veterum.—

Expe-

Experientiam è vestigio Musa sequitur; eam dico non camœnam, quæ est stili character quidã, ad Musam potissimùm accommodatus, sed habitum recta cum ratione conficiendi ideas. Quo si quis præditus est, cum poetam appellamus.

—Neque enim concludere versum,
Dixeris esse satis.— *Hor. l. 1. Ser. Sat. 4.*

Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atq; os
Magna sonaturũ, des nominis huius honorẽ.

Faceſſat igitur (vt loquar ex sententia Philosophi) *illa consideratio, perinde ac alterius facultatis, non autem poeticæ propria.* *Arist. Poet.* Atque ipse nobis, si quis dubius est, hanc controuersiam diluet. *Homero* (inquit) & *Empedocli nihil plane præter metrum commune est: quamobrem legitimus ille quidem poeta, hic potius physicus, merito vocandus est. Deinde historicum & poetam, carmen & soluta oratio non designant; quippe Herodoti historia si carminibus reddatur, æque nihilominus ac sine carmine erit historia. Poeta igitur in fabula conficienda, non in carmine versatur.* Quin igitur Musa (vt cum pro veritate satis, nonnihil de veritate dicã) poesin quidem, non vocum sed rerum componit. Nam ex multiplici singularium

rium hiſtoria generalem fabulam non fingit, ſed facit poeta, vnde nomen παρὰ τὸ ποιεῖν ſortitur. Atq; *Poeſis diuinius quid eſt hiſtoriâ, ſiquidem illa vniuerſale facit, hæc ſingulare nuntiat.* Adeo vt *poeta non à natura didiciſſe, ſed cum ea certâſſe, ipſumq; (ait Scaliger) ſe alterum Deum præſtitiſſe videatur.* Niſi quod Deus mundum prius archetypum produxerat, cuius hæc deinde expreſſa natura extitit; poeta vero ab huius hiſtoria incipiens, ſuum idealem mundum effingit: Ideoque Muſam Iouis, & Mnemoſynes filiam recte dictam puto.

Ibid.

Scal. Poet.

Poeta igitur in *vniuerſali fabula* verſatur, in ea nempe, *quæ mutatis ſubinde perſonis, eadem ſemper actitari dicitur.* Hanc ego idcam voco: eſt enim ſpecies (perpaululum autem intereſt ſiue ἰδέαν, ſiue εἶδος dicamus) ex multis ſingularibus abſtracta. Etenim *pictoribus atque poetis* eadem eſt fingendi formas, & figuras pingendi ratio. Nam vt *Eupompus, cuius examplar in pingendo imitaretur interrogatus, digitum ad multitudinem intendens, naturam ſe æmulari dixit:* ita prorſus poeta dum animo, cui mundus impar

Plin. l. 34.

eſt,

eſt, ſatis vult facere, non ſingularem cuiuſpiam vitam, ſed naturam omnium vniuerſam imitatur. Et vt *Zeuxis cum Helenam pingeret, è quinque formoſiſſimis virginibus, quas cõgregáſſet,* capeſſebat notiones, quibus lineamenta, lucẽ, vmbrã, receſſus exprimeret, vt quod in quibuſque preſtantiſſimum inueniſſet, in vnum opus ſuum transferret: ita poeta perfectas rerum formas ex plurimis earum imperfectis exiſtentijs, colligit, & componit. Vnde fit vt hiſtrio decorum illud actitet in ſcena, quod non videat ſapiens in vita. Poetæ enim quicquid moliuntur, diuino furore perciti, in idealem mundum penitus rapiuntur: quemadmodum imprimis Spencer noſter, diuiniſſimus poeta, in eo libro, quem inſcribit **The Fairie Queene**. Atque ad vnum omnes quoties actum aliquem velint exprimere, res ipſas ſub perſonis, in ſcenam producunt: ipſamque iracundiam, non iratum: amorem non amantem, ſcelus non ſceleratum, miſeriam non miſerum, fœlicitatem denique non fœlicem, ſpectandanda exhibent. *Et ſibi res, non ſe rebus, ſubmittere curant.*

Cic. de Inu. l. 2

Cic. Off. l. 1.

Hor. ep. l. 1. Ep. 1.

Vnde

Vnde semper tam gratum cuique fuit, Poetas suarum laudum ebuccinatores habuisse, eorumque Iambis perstringi acerbissimum. Quod si suas poeta ideas ad hominum personas non dimittat, ipsis ex fonte naturæ nomina imponit. *Arist.* *Nomen enim cuiusq; rei implicita est definitio*, quam ad numerum plerunque Musa prosequitur. Ecquis enim est in poetis vel mediocriter versatus, qui non penitus intellexerit, quam illi in viuis & natiuis rerum descriptionibus toti sint, in quibus ipsa Musæ energia ponitur? Satis iam constare puto, qualis habitus Musa nobis intelligatur, quaque necessitate ab experientiæ historia pendeat; quam vere denique apprehendentis imaginationis virtus dicatur, quæ abstractas rerum ideas concipit, conceptas definit, penitusque comprehendit.

CAP.

CAP. 4.

De quinq; virtutibus Iudicij, Intellectu, Scientia, Sapientia, Prudentia, Arte; déq; Philosophia prima, Metaph. Phys. Math. & tribus Professionibus, Theologia, Iurisperitia, Medicina.

ATque hinc in planiorem campum protinùs dilapsa est nostra disquisitio, philosophiâ omnino occupatum; quẽ eo celerius pertransiuero, quo eum magis expositum & protritum video. Quibus animus affirmat aut negat, quinque numero, vt iam prius dictum est, ex sententia philosophi, Intellectus, Scientia, Sapientia, Prudentia, Ars. Nec quispiam renitens dubitare potest, quã necessario iudicij sententia vniuersã phantasiæ comprehensionem supponat, deinceps vero simplicibus principijs vt complexa succedant, quorum habitus vocatur intellectus. Verum multoties miratus sum, quid sit, quod cum intellectum philosophi distinctum mentis habitum posuissent, nullam ei propriam doctrinam accommodarent; præcipuè cum

cum prima Philosophia principiorum omnibus scientijs maxime communium complexio instituatur. Quam plerique cum Metaphysica iniquè confundunt; Nam Metaphysicam, quam verbis nescio quibus entitatiuis, & à sensu communi abhorrentibus, sibi dissimilem, illi plane disparem & diuersam venditant, *res omnino vt vltra animum, ita supra naturam considerare dicunt.* Adeo vt partem vniuersæ speculationis, à subiectis physicæ, & mathematicæ omnino diuersam contineat, quod in subordinatis fieri non potest. Quin igitur tres illæ scientiæ, quas doctrina physica, metaphysica, mathematica complectitur, inter se coordinatæ conclusiones suas ex primæ philosophiæ principijs æquè primò deducunt. Metaphysica ipsas rerum substantias, physica earum qualitates, earundemque quantitates mathematica considerat: prima autem philosophia principia his quidem omnibus maxime generalia, veluti transcendentia præmittit. Atque his quatuor philosophia continetur; alteram enim partem magis practicam professiones, vt dici solent,

Macrob. in Som. Scip. l. 1.

occu-

occupârunt.

Vt autem experientia & Muſa ad ſpeculantem philoſophiam, ita philoſophia ipſa ad profeſſiones ordinatur. Nõ enim ſcimus, vt ſciamus. Vbi autem ſcire finis ſcientię dicitur, eum non externũ, ſed internũ, munus ſcilicet & officiũ intelligimus. Enimuero naturã ideo cõtẽplamur, vt inde ſapientiæ, & prudentiæ, & artis, rectas rationes ad vitam deriuemus. Ars enim naturæ exempla imitatur, prudentia leges naturæ ad humanam ſocietatẽ accommodat; ſapientia naturæ opera contemplatur, & in ijs ipſum authorem Deum ſuſpicit, & veneratur: ars quidem beneficia naturę, hæ autem reliquæ officia vitæ tractant. *Vid. Cic. de leg. l. 1.*

Eſt igitur officij lex ab omni æternitate fluens ſempiterna. *Nullaq; vitæ pars neque publicis neque priuatis, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt. In eóque colendo ſita eſt vitæ honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo.* Atque ipſa vniuerſa iuſtitia officij virtus eſt; quæ quidem ſi ad Deum ſpectet, pietas; ſi ad homines, probitas nominatur, rectam *Cic. Off. l. 1*

ctamque illius rationem ſapientia, huius prudentia comprehendit. Quod ſi ipſa ſapientia, pietaſque ad humanam ſocietatem deſcendere videantur, vt etiam *ſeruus* ad officium conſcientiá teneatur; id quidem ad homines ita, vt ad Deum maxime, referendum eſt. Omne enim quodcunque ſuſcipitur, vt à Deo, coram Deo, ad Deum peragendum eſt.

Vid. Pet. 1. c. 2. Eph. 6. v. 5. 6. 7. Coloſſ. 3. 22.

Iupiter eſt quodcunq;

Sapientia in earum virtutum numero cenſenda videtur, quæ ad vitam pertinent & actionem. Nam præter intellectum principiorum, concluſionumque ſcientias, quæ dari poteſt virtus in ipſo habitu conquieſcens? Speculatio quidem mentis, ipſaque tacita contemplatio rerum intellectu ſcientiaq; comprehenſarum, actio eſt etſi non tranſinutans, aut ne omnino tranſiens, emanans tamen, aut ſaltem immanens, ea quæ maxime propria eſt intellectui per ſe abſque corpore operanti. Quin & iniquum eſt vt cum ex intelligentiæ luce lumineque ſcientiarum ars & prudentia exiſtant, quarum altera rerum infimarũ culturam ſuſcipiat, altera humanam ſocieta-

Vid. Cic. in fin. l. 1. Off.

cietatem, nulla denique virtus mentis conſtituatur, quæ religioſum Dei cultū curet & inſtituat. Certe vna ea eſt ſapientia, quæ portus eſt & Sabbathum omnium humanarum contemplationum. Ideoque *ſapiens* (ipſo teſtante philoſopho) θεοφιλέστατος, καὶ εὐδαιμονέστατος, *Deo quidem amiciſſimus, & beatiſſimus,* *Lact. 4. Diu. Inſt.* *Eth. l. 10. c. 8.*

In ſumma, ſapiens vno minor eſt Ioue—

Cum autem nullus ſit animi conatus, quem à natura inchoatum, aliqua diſciplina non niſa eſt recta cum ratione conſtituere, Theologia nixa partim naturæ notitijs, maximè vero diuina patefactione, Sapientiam conſequuta eſt. Ad quam ingenia hominum maximo ſtudio philoſophantium, ab effectis ad cauſas perpetua reſolutione aſcendentia, per ſingulos motuum gradus ad primum motorem anhelantia, per portas intelligentiarum, perque ideatas idearū ideas anagogice ſubtiliatas, contendentia, nunquam poterant aſpirare, vt exinde aliquid ad officium præter myſticam ſuperſtitionem, & miſerandam vanitatem deducerent. Acies enim humanæ mentis ad aſpectum gloriæ illius, quæ lucem

habitat inacceſſibilem, perinde cæcutit vt *noctuæ oculus ad ſolis fulgorem.*

Met. l. 1.

Itaque ex omnibus diſciplinis vna Theologia, quam ſacra pagina abunde continet, authorem habet ipſum Deum, cuius in verba ſacramento iurati ſumus. Ideoque in ſchola Sapientiæ illud philoſophi inprimis valere debet; δεῖ πιστεύειν τὸν μανθάνοντα; *oportet diſcentem credere.*

Ar. Elen. c. 2.

Alteram officij partem Prudentia ſuſcipit: ea enim eſt ipſius virtutis regina, vitamque ciuilem regit, dirigit, corrigitque. Atque ideo rectè Cicero *Artem viuendi, dixit, eſſe prudentiam, vt medicinam valetudinis,* ὡς ἀνάγκη τὴν φρόνησιν εἶναι μετὰ λόγου ἀληθῆ περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ πρακτικήν: *quam ideo neceſſe eſt virtutem eſſe circa bona humana recta cum ratione operantem.* Prudentia virtus eſt, quę cum fallere nolit, & falli non poſſit, vt loquar cum Seneca, *Præſentia ordinat, futura prouidet, præterita recordatur. Eaque paranda eſt* (vt monet Tacitus) *non vt nomine magnifico ſegne otium veles, ſed quo firmior aduerſum fortuita Rempublicam capeſſas.*

De fin. l. 5.

Eth. l. 6. c. 5.

Eam

Eam Iurisconsultorum tutelæ, curæque recte committendam puto, cum illi vniuersam moralē Philosophiā suo iure occupârint. Si quid autē ratio humana valere potest, eā certe doctrinæ partem, quæ ciuilem scientiam complectitur, assiduo studio, multiplici experientia, varia lectione, altissimo consilio, sagacissima solertia, composuit, & expoliuit: in quam omnes omnium literarum amœnitates confluxerunt. Atque id iure, cum (vt inquit Philosophus) πᾶσας εἶναι χρεὼν τὰς ἐπιστημὰς ἐν ταῖς πόλεσι, καὶ πόσας ἑκάστους μανθάνειν, καὶ μέχρι τίνος αὐτὴ διαλάσσει: *quas in ciuitatibus scientias esse oporteat, & quas quisque discere debeat & quatenus, ciuilis scientia statuit, & præscribit*; atq; ita

Tacit. hist. 4. Eth. l. 2. c. 2. Et l. 1. c. 2.

Eth. l. 1. c. 2.

——*Micat inter omnes*
——*Velut inter ignes*
Luna minores.

Hor. car. l. 1 od. 12.

Veruntamen confitendum est (idque libenter profiteor, nequid sacratissimæ doctrinæ, eiusque studio, & professioni, detraxisse videar) ciuilem scientiam Theologiæ vt Lunam Soli cedere, atque id etiam ex sententia ipsius Philosophi, ἡ σοφία ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα, ἐπιστήμη τῆς π-

Vide Cic. in fin. l. 1. off.

Eth. l. 6. c. 7.

μιωλάτων. ἄτοπον γὰρ, εἴ τις τὴν ἐπιστήμην, πολιτικὴν, ἢ τὴν φρόνησιν, σπουδαιολάτην οἴεται εἶναι, εἰ μὴ τὸ ἄριστον τῶν ἐν τῷ κόσμῳ, ἄνθρωπος ἔστι. *Sapientia est tanquam caput, & scientia rerum honoratissimarum. Absurda enim fuerit eius sententia, qui scientiam ciuilem, & prudentiam, omnium optimam esse putet, nisi forte rerum omnium, quæ in mundo sunt, homo sit res vna præstantissima.* Tot quidem gradibus ciuili scientiæ præcedit Theologia, quot Deus homini. Finiti vero ad infinitum nulla proportio.

Quid autem opus est virtutes natura, vsúque coniunctissimas inter se committere? Sapientia quidem & prudentia in vniuersa hominis vita mutuam locant operam: pietatis enim, probitatisque officia vno iustitiæ iugo connexa, varijs identidem combinationibus se inuicem intercipiunt, & complicantur. Quandoquidem *ita loquendum est cum Deo tanquam homines audiant, ita viuendum cum hominibus, tanquam Deus videat.* Et in sacris agendis ratio habenda est humanę societatis, & in rebus humanis, cura adhibenda est religiosæ pietatis. *Rectè Socrates execrari eum solebat, qui primus vtilitatem*

Cic. de leg. l. 1.

vtilitatem ab honeſtate ſeiunxiſſet. Hæc enim eſt illa pernicies (vt inquit Cicero) *quod alios bonos, alios prudentes exiſtimamus.* De leg. l. 2. Off. l. 3.

Vna reſtat iudicij virtus, ars nobis conſideranda, quam licet extremum in locum reieci, primum tamen, cum neceſſitatibus ſuccurrat, alijs præripere ſolet. Neceſſitas legem neſcit. Tria ſunt agentia, Deus, natura, & ars; Deus ex nihilo, natura ex materia, ars ex compoſito operatur. Deus vniuerſum hoc pulchrum verbo fecit, natura per ſeminariam traductionem formæ, in viciſſitudine generationis & corruptionis, ſpecies rerum conſeruat, ipſaſque res ita compoſitas, & conſeruatas ars transfert ad vſum humanæ vitæ. Artes aliæ ludicræ, aliæ neceſſariæ, vt quæ ad victum & amictum ſpectant, & ex his rurſus aliæ mercatrices, aliæ mechanicæ, omnes autem vni medicinæ videntur ſubſeruire & ancillari. Ea enim totam humani corporis curam ſuſtinet, ad quam præſtandam vniuerſam naturæ ſcientiam diducit, & vna literis continetur. Eſt enim medicina ſalubrium, inſalubrium, & Ar. l. 2. de Animal.

Gal. l. 2. Ther. c. 3. etc.

neutrorum φυσιολογικὴ, παθολογικὴ, ὑγιεινὴ, & θεραπευτικὴ, comprehensio. His enim vocibus tres medicinę ordines contineri sentio; subiectum & illius septem res naturales, causam & res eius non naturales, effectus denique sanitatem, & morbum; ad quorum alterum, in humano corpore conseruandum aut restaurandum, alterum profligandum aut propellendum tota medicina in plantarum, animalium, & cæterarum rerum vsu, per προσθεσιν, & ἀφαίρεσιν occupatur. Reliquas artes literæ non agnouerunt, traditione autem habentur, quas ideo **Trades** nobis sermone Anglico appellari puto. In quibus id maxime tenet: Artis est celare artem.

Gal. l. 11. Ther. meth. c. 12.

CAP. 5.
De Morali Virtute.

Epict. Arrian. l. 2. disser. 23

Ἄνθρωπε, ἐπελάθου σεαυτῦ πρὸς ἃ προῆλθες; οὐκ εἰς τοῦτο ὤφυες, ἀλλὰ διὰ τοῦτο. *O homo, oblitus es instituti, non huc ibas sed hac.* Nisi ad mentem animus, affectus ad intellectum accesserit, actus absolui non

Sen. ep. 106.

potest. Satis quidem edoctus es *schola*, adhuc

adhuc rudis *vitæ*. Quid fiet de hac tam ampla rerum cognitione? Imò quid omnino opus est vlla doctrina? οὐδὲν δὲ πρακτικώτεροι τῷ εἰδέναι αὐτὰ ἔσμεν, εἰ μὴ ἕξεις αἱ ἀρεταὶ εἰσί: *Nihilo ad agendum promptiores efficit earum rerum cognitio. Siquidem virtutes habitus sunt, non notitiæ.* Neque etiam sapientia aut prudentia magis discendæ videntur ad vitam bene instituendam, quam medicina ei, qui corpore sanari velit. *Eth.l.6.c.12*

Certe, vt ex fide, non pro caussa dicam, cum ignorantia iuris, peccatum ignorantiæ, non ignorantiam peccati pariat, vel ideo oportet vt officij notitia aliqua habeatur; etsi non omnibus ita fortassis accurata, vt ijs qui animi medicos se profitentur. Si etiam *turpe sit* (quod dixit Tib. Cæsar) *ei, qui sexagesimum ætatis annum transegerit, manum medico porrigere*, certè magis oportet, quemque toga virili indutum, animi sui morbos sanare, moderari affectus, passiones cohibere. Quod omnino fieri non potest, nisi aliqua animum medendi ratio habeatur. Quę si nihil aliud faciat, tamen præparat hominem, & disponit ad medelam. *Plut. mor. tra. an seni gerenda sit resp.* *Vide Ar. Eth.l.6.c.13*

delam. Doctrina facem præfert virtuti. Et vt accumulata cognitio absque pietate & probitate obesse plerumq; solet, prodesse nũquam, ita virtus animo rudi & inculto ne adesse quidẽ potest. Quod si fieri possit, malim virum doctrinâ, quam doctrinam viro indigentem.

Cic. pro Archia Poet.

Neque enim eos laudamus, si qui ita se cunctos literis abdiderunt, vt nihil possint exinde, neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemq; proferre. Ideoque duæ adhuc molitiones animi supersunt; mores & eloquentia. Illis quicquid introrsum est, in aspectum lucemq; vitæ profertur; hac seruitur communi hominum societati. Huic loco versiculi cuiusdam, re si non verbis splendidi, veniunt ascribendi.

Tres infœlices in mundo dicimus esse.
Infœlix, qui pauca sapit, spernitq; doceri:
Infœlix, qui multa sapit, spernitq; docere:
Infœlix, qui recta docet, operatur inique.

Cic. de fin. 5

In homine (inquit Cicero) *summa omnis animi est, & in animo rationis, ex qua virtus est, quæ rationis absolutio definitur.* Vt igitur actus tandẽ absoluatur, *ratio etiã voluntati adhibenda* est. Ita enim intelligentia

Vid. Sen. ep. 95.

in

in ſcientiam, ſcientia in ſapientiam, prudentiam & artem; ſapientia denique in pietatem, prudentia in probitatem, ars in peritiam migrabit, & vita fiet virtute perfecta. Quod quidem Stoici potiſſimum curâſſe videntur. Illi enim ingenia proficientium ad morũ ſtudia identidem compellunt, etiamnum inculcant; ὅτι διδακτὸν ἀρετή, *quod virtus doceri poteſt.*

At quæ demum eſt illa virtutis doctrina? An præceptis & decretis δογματικῶς, aut παραινετικῶς conſtituta, qualis eſſe ſolet Ethica diſciplina? At totam hanc caput præripuit, ne quid ſinuoſum in pectus deſcendat. Hinc bene nouimus, quid virtus ſit, quod virtutis officium, quæ officij lex, extremitas, modus, quid deceat vt decorum, quid expediat vt neceſſarium; quibus ſapientia quidem, & prudentia conſtant, non mores. Illud Epicteti, Ἀνέχου, καὶ ἀπέχου, *ſuſtine, & abſtine*, valde teneas, at fortaſſis nec aduerſa adhuc ſuſtinere, nec te in ſecundis continere potes. Adeo cum omnis doctrina propter mores inſtituatur, ipſi tamen doceri non poſſunt. *Sen. ep. 74.*

Vtcunq; ſecũ bene conuenit Stoicis qui 88.

virtu-

virtutem scientiã, vitium inscitiã definiunt; τί ἔν ἀγαθον ἐστιν; οὐδὲν ἄλλο ἢ φρόνησις· τὶ φρόνησις; οὐδὲν ἄλλο ἢ ἐπιστήμη. Quod si verum sit, quid impedit, vt virtus doceri possit? Nos autem cum Aristotele sentimus ἡμεῖς δὲ μετὰ λόγου cum ratione, prudentia scilicet, virtutes esse coniunctissimas, at omnino tamen in voluntate positas. Δεῖ τοῦτο λόγον ἀληθῆ εἶναι, καὶ τὴν ὄρεξιν ὀρθὴν: *oportet quidem rationem esse veram, sed & appetitum rectum.* Ideoq; concludimus cũ Quintiliano declamatore: *Alia forsitan discuntur, quadã experimentis cognoscenda sunt; boni mores constant voluntate.*

Cic. Ac. 4. Plu. in Stoic Laer. in Soc. Ar. Eth. l. 6. c. 13.

Eth. l. 6. c. 2.

Decla. 26. 8.

Quin igitur applicanda est ratio ad affectum: is enim commouendus est, & ad rectam officij sententiã cohibendus. Quam animi curã altera eloquẽtię pars, oratoria, nõ doctrina, suscipit. Voluntas suadâ eloquentiæ persuaderi potest, doceri nõ potest. Volũtas enim domina est eaq; satis imperiosa; & vel ideo vult se aliquando non velle, ne mentis iudicio mancipata videatur. Mens *videat meliora, probétque*, affectus tamen *deteriora sequetur.* Stat sententia; ita quidem stat pro

pro ratione voluntas, niſi & ipſi affectui ratio adhibeatur.

Quibus iam machinis demoliendus eſt animus, quibus ſuauijs molliendus, & ad meliorem ſententiam reuocãdus? Certe non hiſpidis & hiulcis, hirſutis & horridis dictitationibus, quibus docetur intellectus; quinimò opus eſt torrenti & fulguranti rationum impetu, diſertiſſimis argumentorum aucupijs, pellicitantibus verborũ lenocinijs *(per ego has lachrymas, dextramq; tuam)* quibus rapitur auferturque ipſe ſibi animus, & velut extra ſe ponitur. Tota igitur animum perſuadendi ratio in mouendis affectibus, ijſque moderandis conſiſtit.

CAP. 6.

De Eloquentia, Grammatica, Rhetorica.

ELoquentia, virtus orationis, id agit apud alios, quod recta ratio ſuo cuiuſque animo iam pridem præſtitit. Profeſſor enim, cuius hæc virtus eſt, ſiue is commentator ſit, ſiue doctor, ſiue orator in quocunque literarum genere verſatus, non ſolum viuus, & præſens, ſed locorum

corum etiam, & temporum interuallo disiunctus, ad communem hominum vtilitatem, suam sapientiam, prudentiam, intelligentiamque potissimum confert.

Cic. Off. l. 1. *Ob eam etiam causam eloqui copiose, modo prudenter, melius est, quam vel acutissime sine eloquentia cogitare. Quod cogitatio in se ipsa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuscum communitate iuncti sumus.*

Ideoque eloquentia, qua voce omnem recta cum ratione loquendi facultatem intelligo, virtus est maxime politica & ciuilis. Cuius tres partes protinus extitisse video, totidem rationis, totidemque comprehensionis partibus respondentes. Ex quibus primam, linguarum scilicet peritiam, grammatica instituit. Ea enim *elementum, syllabam, coniunctionem, nomen, verbum, articulum, casum, orationem* congruam, & aptam, phrasin denique loquutionis, per omne linguarum genus ritè comprehendit. Atque hæc, vt commentatio rationis, ad apprehensionem dirigitur, vt congrua oratione conceptuum participes mutuo fiamus. Alteras eloquentiæ partes, rationis disputationem & deliberationem

Art. Poet.

(quæ

(quæ ambæ ad ſententiam pertinent) rhetorica complectitur. Ea enim & docendi & perſuadendi, omnem denique eloquendi viam, & rationem inſtituit.

Ideoq; Logica ei remittit, ſcilicet res ſuas ſibi vt habeat. Genus enim didacticum & à logicis relictum, & à rhetoribus iam pridem occupatum eſt. Idque iure. Quid enim rhetorica, cum ipſa omnem eloquendi facultatem ad ditionem ſuam redegerit, logicæ expreſſam anguſti pectoris loquentiam, vixque eam relinqueret? Quotus etiam quiſque ad docendum accedit, qui non omnes eloquentiæ partes ſibi aſſumendas putat, vt, habita oratione ad diſcipulos in morem præfationis, attentionem moueat & docilitatem, concilietque beneuolentiam: vt deinde, quoties ad legendum deuenerit, protinus facta narratione, exponat quæſtionem, ſuam ponat ſententiam, eamque confirmet & confutet aduerſariam, denique collecta recapitulatione ſententiam concludat? An non etiam, qui libros edunt, ipſi tractationi, quæ narrationis, propoſitionis, confirmationis, confutationis partes continet,

præ-

præmittere ſolent ad lectorem epiſtolæ exordij vicem ſubeuntem, & ad finem perorationem aliquam adhibere? An non idem diſputantibus factitatum videre licet? Omnis certe orationis contentio, quę ad aliorum animos rationem applicat, ſiue exponendo, ſiue docendo, ſiue perſuadedo, modo ad id commodè fiat, eloquentiæ munus eſt & officium. Nec minus eum eloquentem dixero, qui maxime humili orationis genere vtitur, ſi res poſtulet, ad docendum, abſq; omni ornatu, & fuco, quam qui omnem figurarum & troporum elegantem ſupellectilem ad dicendum adduxerit. *Nullum eſt enim genus* (inquit Plinius) *quod abſolutum, non poſſit eloquentiſſimum dici.* Res quidem *eloquentiæ maxima eſt, & præcipua, & fere vna illud τὸ πρέπον*, quod electionem adhibet & modum. Non opus habeo alteram eloquentiæ partem, quæ in perſuadendo ponitur, pluribus proſequi, cum eam fere vniuerſam rhetoricam occupaſſe videam.

C. Plin. ep. l. 6.

Quinct. l. 11. c. 1.

Vniuerſa autem eloquentia ſiue in exponendo ad conceptum, ſiue in docendo intellectum, ſiue in commouendo affe-

affectum ponatur, id agit vt homo iam ipſe mente animoque erectus alios ſibi ſimiles efficiat. Ideoq; in extremum locum eam rejiciendā putaui. Quid enim? an quis poteſt eloqui, quod ipſe nunquam comprehenderat, aut id recte cōprehendere de quo prius diſquirendo non cogitauit? Adeo videntur omnia, quæ ratione continentur ad eloquentiam, etſi non formaliter, tamen præſuppoſitiue (vt loquuntur ſcholaſtici) pertinere. Vt non inique rhetores ad cumulatum oratorem conſtituendum omnes artes coniunxerint. *Nihil enim aliud eſt eloquentia* (vt definit Cicero) *quam copioſe loquens ſcientia.* Ipſe igitur in Bruto initia, gradus ſuæ eloquentiæ velut quandam educationem refert; ſe apud *Q. Mutium ius ciuile didiciſſe, apud Philonem Academicum, apud Diodorum Stoicum omnes philoſophiæ partes penitus hauſiſſe*: neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in vrbe contigerat, *Achaiam quoq; & Aſiam peragrâſſe*; vt omnium artium varietatem complecteretur.

Cic. Part.

Cic. in Brut.

Admonebat me res hoc in loco vt præ-

præproperum eloquendi, & profitendi ſtudium huius ætatis deplorarem, niſi vererer ne de meipſo aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quam in paucis ſpes, quam in paucioribus facultas, quam in omnibus ſit audacia, eorum qui *foro & ambitione obruti*, prius ad docendum, & dicendum erumpunt, quam ad diſcendum acceſſerint.

Cic de orat. l.1.

Quin vt mente omnia prius complectenda ſunt ei qui aliorum ingenia erudire ſtudet, ita penitus animo bene cõpoſitus ſit oportet, qui aliorum affectus concitare & moderari velit. Quod illi nunquam efficient, *qui doctrina ore tenus exerciti, animum bonis artibus non induerunt.* Mens enim mentem, animus animum ſibi conciliare, & aſſimilare ſolet. Dicas vſque ad raucedinem, niſi linguã in animo pariter ac in mente tinxeris, auditorem fortaſſis doctiorem, nihilo tamen meliorem dimittes. *Summa* igitur oratoriæ, quantum ego ſentio, (tecum enim, Quintiliane, conſentio) *in hoc poſita eſt, vt moueamur ipſi, afficiamurq́, antequam afficere conemur.*

Tac. An. 15.

Quin. Inſt. l. 6.

Hor. Ar. Po. —*Si vis me flere, dolendum eſt*

Primum

Primum ipſi tibi.—

Recte igitur Cato definiuit oratorem, virum bonum dicendi peritum. Qualem etiam Virgilius finxiſſe videtur, quem in ſeditione vulgi iam faces & ſaxa iaculantis, moderatorem dedit animis:

Tũ pietate graue ac meritis ſi forte virũ quẽ
Conſpexêre ſilent, erectiſq; auribus aſtant. Virg. Æn. 1

Primo virum pietate & morum grauitate inſignem exhibet, cuius ſpiritum vt à Deo recentem populus caſta mente excipiunt: eorumque pectora quod is cunque dixerit alte inceſſit, cum prudentem eum, probum, ſibique beneuolum nôrunt, vt nec fallat nec fallatur. Iam & dicendi peritum adijcit;

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Vnus hic animorum habenas tenet, & prout cuiuſque natura poſtulat, adhibet manum, & temperat orationem, parato omni inſtrumento, & ad omnem vſum repoſito, vt & populum, & ſenatum, conſilio, & authoritate regat. F. Quin. Dial. de Orat.

CAP. 7.
Collatio & ordo Virtutum & vniuerſæ Doctrinæ.

Cic. pro Arc. Poet. *OMnes quidem artes, quæ ad humanitatem ſpectant, habent quoddam commune vinculũ, & quadam quaſi cognatione inter ſe continentur.* Ea ſane neceſſitate coniunguntur, vt ex ordine, in quem illas diſpoſui, priores in eo bonæ ſint, quod ad reliquas conducant, atque hæ omnem veritatis certitudinem ad illas referant. Quandoquidem in eo vnumquodque verum eſt, ſi reſpondeat ſuis principijs, & bonum ſi conducat ad finem. Pendet ergo à ſenſu experientia, ab experientia muſa, ab his principiorum intellectus, ab intellectu ſcientia, à metaphyſica ſapientia, à phyſica de anima prudentia, de corpore medicina, à mathematicis denique mercatrices, & mechanicæ artes, à ſapientia pietas, à prudentia probitas, ab arte peritia, ab his omnibus eloquentia, & hæc, & illæ quidem omnes à Logica. *Difficile eſt pauca eſſe ei nota, cui non ſint pleraque*

Tuſc. Quæſt. l. 2.

aut

aut omnia. Atq; hæ ſunt ſphæræ humanę vitæ excentrico rationis motu perpetuo circumgyratæ.

Neque difficile eſt propria loca, munera, fines, & dependentias virtutibus comprehenſiuis aſſignare, cum ſubiecta ſibi ſingulæ diſtincta arripiant, atque in tot fere ordines diſtinguantur, quot ſunt rerum ſeries. Nam vt conceptus omnis & æſtimatio de ijſdem ſint, ad intellectum quidem *tranſcendentia* referantur; ad ſcientias, metaphyſicam, mathematicã, & phyſicam, *ſubſtantia*, *quantitas* & *qualitas* remittantur; tribus inde profeſſionibus, ſapientiæ, prudentiæ, medicinæ, *actionem* & *paſſionem*, nimirum naturalem, & moralem, committamus; ad inferiores ſcientias topographiam, & chronologiam, *Vbi*, & *Quando*: ad artes denique opticas, *Situm*; ad mechanicas, præter eas quæ ad medicinam ſpectant, & victum, *Habitum* dimittamus: Nam mechanicæ præter eas, fere reliquæ ad amictum, vt veſtiariæ, & ædificatrices immediatè, fortaſſis aliæ magis remote pertinent. Vna iam *Relatio* ex decem categorijs relinquitur, quæ quidem opus

est Logicæ, & potius dicenda ipsa ratio omnis seriei, quam subordinata rerum aliquarum series. Ea enim per omnium reliquarum virtutum ordines rectam rationem diffundit, quæ tanquam forma & anima, tota inest totis, & cuilibet cuiusque parti:

Virg. l. 6. Æn. —*Totoq́; infusa per artus*
Illa agitat molẽ, & magno se corpore miscet.

Quem autem locum Logica habet in tacita mentis cogitatione, eundem eloquentia obtinet, quoties ad aliorum ingenia virtutibus instituenda, rationem accommodamus. Quæ duæ tam latos habent terminos, vt nullos habuisse videantur. Vnde fit, vt tam ægrè à reliquis virtutibus, inter se autem difficillimè distinguantur. Quas tamen si possimus sua ratione vel rudiùs finire, abunde huic parti factum puto, ne rationem extra rationem quærere, & cum ratione insanire videamur.

Grammaticam, Logicam, Rhetoricam, quas artes sermonis, & philosophię instrumenta vocant, ita nonnulli distinguunt, vt grammatica vniuersæ philosophiæ, logica speculatiuæ, rhetorica practicæ

ticæ inseruiat; prima congruè ad significandum, altera rectè ad docendum, tertia ornatè ad persuadendum loquatur. Popularis hæc quidem distinctio in leuissimum vulgi applausum ebulliuit. Eique Zeno Stoicus manum adhibuisse videtur, qui Logicam pugno, palmæ Rhetoricam assimilauit. Ego quidem non pugno, sed palmam Zenoni porrigo. Eum enim longe aliter sensisse credo, quam vulgus arbitrantur. Vt vere quidem Logica similis sit pugno, quia per eam id quisque pugilice comprehendit, quod quærebatur; Rhetorica vero comparetur palmæ, quia quod comprehensum est id illa porrigit alijs, & quasi expansa manu libere distribuit. Ita enim Logicam & eloquentiam omnino distinguendas puto, vt per illam animum sibi quisque rectum efformet, per hanc sibi conformet alios. Oratio enim rationis riuus est, & consensus sententiæ proles. *Cic. de fin. l. 2.*

Per Logicam quisque est αὐτοδίδακτος, siue naturam sequatur ducem, siue arbitrarijs hominum studijs vtatur. Ea enim ex magno mundi volumine cuiusque

que ingenium, modo non sit natura ineptum, per se satis erudire potest; primo colligens ex singularium sensu cumulatam experientiam, vnde vniuersales notiones abstrahit, ex his deinde principia componens, vnde mox conclusiones deducit; ab illis denique præcepta, leges, & regulas constituens, quibus omnia ad vitam applicat: inde rationis absolutio. Quod si quis aliorum orationi aurem accommodare velit, logica efficit, vt nihil temere assentiatur, quin vbique obseruet cautam illam *Academicorum* ἐποχὴν, & rem cum re, causam cum causa, rationem cum ratione conferat, donec *in vtramque partem disputando eliciat, & tanquam exprimat aliquid, quod aut verum sit, aut ad id, quam in rebus ipsis obscuritas & in iudicijs nostris infirmitas patiuntur, proximè accedat.* Si quis etiam adhuc rudis Logicæ, *infirmissimo tempore ætatis, obsequutus amico cuipiam, aut vna alicuius, quem primum audierat, oratione captus, ante teneatur astrictus, quam quid esset optimum indicare potuit*, Logicæ demum præsidio si eam nactus fuerit, ab illa immaniſſima ingenij seruitute vindicabitur.

Cic. Ac. 4.

Cic. Ac. 4. & Metap. l. 2. t. 1.

Cic. ibid.

cabitur. *Seruata denique* (vt cum M. Cicerone dicam) *illa, quæ quasi delapsa est de cœlo ad cognitionem omnium regula, ad quam omnia iudicia rerum diriguntur, nunquam vllius oratione victi sententia desistemus.* Ita quidem Logica vsu applicata est illa interna cuiusque virtutis methodus, & ratio, in cuius etiam naturam transire videtur. Vt enim ratio inter reliquas potẽtias, ita se habet Logica inter habitus. Illæ ratione moderatæ dicuntur rationales, hi recta cum ratione constituti rectæ rationes nominantur. Vnde Seneca: *Virtus non aliud est quam recta ratio:* & Σωκράτης μὲν οὖν λόγους τὰς ἀρετὰς εἶναι, *Virtutes rationes esse existimabat:* Atque ipse Aristoteles, οὐ μόνον ἡ χρὴ τὸν ὀρθὸν λόγον, ἀλλὰ καὶ ἡ μετὰ τοῦ ὀρθοῦ λόγου ἕξις ἀρετὴ ἔστι. *Virtus non solùm rectæ rationi consentanea, sed etiam recta cum ratione coniuncta,* certe quidem coniunctissima. Quod vel nominibus aliquarum virtutum liquidò constat, vt dicantur Theologia, Physiologia, Astrologia, Chronologia, & eiusmodi.

Cic. de Fin. l. 1.

Sen. ep. 76.

Eth. l. 6. c. 13

Eth. l. 6. c. 13

Fieri autem *potest, vt recte quis sentiat, & id, quod sentit,* commode *eloqui non*

Cic. Tusc. l. 1.

possit, vt cum sit animo bene sapiens, sit tamen eloquio satis insipidus, & ad alios edocendos infantissimus. Cui defectui vna eloquentia succurrit, quæ si nullam aliam quam simplicem, nudam, & apertam rationis viam ad persuadendum consectaretur, atat quam horrida, spinosa, salebrosa omnis esset institutio & doctrina? Non alia, opinor, esset eloquentia, quam qua vsum fuisse medicum quendam in historia conscribenda, ex Luciani libro de scribendæ historiæ artificio, refert Robertellus:

Robertellus de artificio dicendi, tra. Quid differat oratorius sermo à dialectico.

Omnes, qui in Apollinis tutela sunt, bonas disciplinas pro suo iure tractare possunt.

Omnes medici sunt in Apollinis tutela, ergo *Omnes medici*, &c.

Omnes, qui disciplinas iunctas inter se perceperunt, de his scribere possunt:

Omnes medici iunctas inter se disciplinas perceperunt:

Ergo, *Omnes medici possunt de omnibus disciplinis scribere.*

Omnes, qui de alijs omnibus possunt scribere, etiam de historia, quæ vna ex illis est; possunt:

Medici

Medici de omnibus aliis possunt: Ergo, *etiam de historia.* Paulo post.

Omnes sapientes Reges magnas res gerunt,
Pisistratus fuit sapiens: Ergo
Pisistratus magnas res gessit.

Omne bellum, quod à Græcis indicitur barbaris, est iustum:
Bellum est à Pisistrato Persis indictum: Ergo
Bellum à Pisistrato inductum est iustum.

Omnes, qui bellum conficiunt, pecunia & milite abundant: Pisistratus Rex; Ergo, &c.

Quo insulso dicendi, aut docendi, vel etiam narrandi genere quid cogitari potest magis ineptum & ridiculum?

-- Male si mandata loquaris, *Hor. Art. poet.*
Aut dormitabo, aut ridebo. --

Vt igitur ipsa quidem interna cuiusque virtutis methodus detur Dialecticæ, externa certe docendi pariter ac persuadēdi ratio ex officina rhetorum, non è schola Logicorum petenda est. Vtpote quæ non à calce ad carceres rem quamque vestigiatim reducit, neque per absurdum, & impossibile ad Bocardo, certosque modos minime commodos, figurasque nequaquam ornatas, singulas causas

causas redigit, sed ad personarum, rerumque circumstantias, prudenter se accommodat, vt aliquando Ellipsi, nonnunquam Redundãtia, Crypsi aliquando, & alicubi Inuersione, suis locis vtatur. Semper oratorum eloquentiæ (inquit Cicero) moderatrix fuit auditorum prudentia: & idem alicubi; Hæc sapientia adhibenda eloquenti est, vt sit temporum personarumque moderator. Atque ideo res siue exponat, siue doceat, siue persuadeat, præcipua consilium est, quo varie & ad rerum momenta conuertitur. Quandoquidem inuenire, quid quoquo loco dicatur, quomodo & quatenus, magna illa quidem sunt, & tanquam animi instar in corpore.

De oratore.

Quin. Inst. l. 2. c. 13.

Cic. de or.

Sit igitur ratio, qua sibi quisq; viam munit ad sapientiam, vnius Logicæ: oratio, qua id ipsum alijs præstat, solius eloquentiæ. *Qui tandem fieri potuit, vt homines sapientissimi, & prudentissimi, alios ad suam sententiam traducerent, nisi ea qua ratione inuenirent, eloquentiâ persuadere possent?* Atque ita *Rhetorica est Dialectice ἀντίστροφος vt* inquit Philosophus. Quibus duabus animi virtutibus si bene vtatur,

Inuent. l. 1.

Ar. in initio Rhet.

næ

næ is tantum excellit alijs hominibus, quantum ipſe homo brutis.

Quid voueat dulci nutricula maius alumno Hor. ep. l. 1.
Quam ſapere & fari vt poſſit, quæ ſentiat?--

CAP. 8.

De Doctrinæ ortu, profectu, variog; defectu & ſtatu.

PRofecto ita eſt, tum maxime cum de tabula manus amouenda, *plus vltra* animo ſe oggerit. Atque fortaſſis non immerito de vniuerſæ doctrinæ ortu, profectu, ſtatu, deficientijs nonnulla in coronidem tanquam per ſatyram adjiciamus. Animus poſt primū ingenij impetum, cura præſentis neceſſitatis ſolutus cœpit reſpirare, tandemque monte potitus campum ſuarum molitionum deſpicere, viam denique certamque rationem ad ſingulas deſcendens exarare. Dumque alij in vitam exierunt, nonnulli in otio minime otioſi ſpeculationi vacabant, idque negotij ſibi dari credebant, vt ex illorum vita ipſi viuendi rationem certam componerent, *vt otium ſuum ad eorum negotium contuliſſe videantur.* Cic. Off. l. 1.

tur. Quorum ſtudijs vniuerſa doctrina rudis quidem, & ſatis indigeſta primo extitit. Tum enim quiſque audebat ſua placita in medio ponere; neque de ordine vlla cura habebatur. Quibus duabus rebus moles diſciplinarum iugiter excreuit.

Cic. Ac. 4. *Cumq; iam philoſophorum* doctrinæ ſua ſimplicitate *grauiſſimæ conſtitiſſe videbantur, tum in Academia* exorti ſunt, *vt in optima Repub. T. Gracchus, qui otium perturbaret*, ita ſophiſtæ, viri ingenio freti, arrogantia & pertinacia armati, qui conſtituram philoſophiam euerterent. De omni enim re in vtramque partem diſputarent. Hinc ſectæ exortæ ſunt, & inde rixæ, & odia, ſtudiaq; omnia ad admirationem & applauſum populi conuerſa ſunt. *Quod malũ eo fuit indies amplificatum, quo ſuperbia increuit, & rerum peritia diminuta eſt.* Nihil tam ſacrum erat, quod non audebant conuellere, & inſana diſputandi licentia omnia dilacerarunt.

Hor. —*Stultum pecus, vt mihi riſum,*
Vt mihi ſæpe iocũ veſtri mouere tumultus?

Iſti enim impetuoſi Logodædali, acſi pe-

pectora habuissent argento viuo plena, semper in motu esse gestiêrunt, nempe περιπατεῖν voluerunt. Vniuersâ protinus philosophiâ spinosis quęstionibus obruerunt. De ipsa etiã disputatione disputârunt, & de hac etiam disputatione disputare solebant, & in hoc egregios se visum iri philosophos arbitrabãtur. Quid autẽ ineptius quam de disputando disputare, cum id ipsum disputare nunquam sit nõ ineptum, nisi cum est necessarium? Hinc extiterunt Suitsęticæ quisquiliæ, calculationes, cauillationes mentiuoræ, teritismata sua tenuitate euanescẽtia & farta archipodialitarum distinctiuncularum, frusta denique feculenta ex vomitu obscurorum virorum corrasa, quibus aliqui scioli iam effarcinati ita subnixe obambulant, facie theorica, pede geometrico ac si totus literarum orbis ex illorum nutu dependeret. Si quid ore suo obruerint, vt propter verba res non possit cõcipi, effecerintque vt næ intelligendo sectatores sui omnes nihil intelligant, sublime nescio quid extra horizontem, vulgaris ingenij se dixisse gloriantur. *Ita quæ philosophia fuit, facta est* (inquit Seneca) *Sen. ep. 108.*

cic de Inu. l.1.

ca)*philologia.* Quibus rebus tantum odij & inuidiæ ſuſcepit magna pars doctrinæ, *vt homines ingenioſiſſimi quaſi ex aliqua turbida tempeſtate in portum, ſic ex ſeditioſa & tumultuoſa diſciplina, ſe in ſtudium aliquod quietum traderent.*

Mox etiam vbi profeſſores ſcholas ſuas aperuerunt, doctrina adhuc magis conturbabatur eorum etiam partim arrogantia, partim imperitia. Sua enim alijs nonnunquam ceſſerunt, & nunquam non inuaſerunt aliena. Nam quilibet, quod ad ſuam profeſſionē aut augendā, aut adornandam, fortaſſis etiam obſcurandam, quouiſmodo conduceret, rapſodiatis centonibus compilauit. *Velut fere* (vt inquit ille) *caueis fractis, in proximorum rus & fines irruerunt.* Ita Lucius Craſſus, apud Ciceronem, omne diſciplinarum atque artium genus, cognitione iuris contineri aſſeuerat, atque quidem, ſi diis placet, libello duodecem tabellarum. Ita *Quintilianus velut indignabundus res ſuas repetit, amputata eſſe de Rhetorica, per homines deſidioſos, quæ ad naturæ contemplationem, quæque ad componendos mores attinerent.* Nimirum boni viri cum ob-

Rod. Ag. Top l. 2. c. 1.
De orat. l. 1.
Vid. Ar. Re. l. 1.

Viu. de corr. Art. l. 4.
Vid. Quint. inſt. l. 1. c. 1. & c. 16. & l. 2. c. De mater. Rhet.

obſeruarent neminem cuiuſpiam artis profeſſorem cumulatum exitiſſe, niſi qui reliquas adiunxiſſet, omnes diſciplinas putârunt ad ſingulas conſtituendas aſſumi oportere. Ita vnuſquiſq; ſuam artem fecit conferruminationem omnium. *Et ne parum multa ſcîſſe viderentur*, totum doctrinæ orbem, tanquam poſſeſſionem ſuam, ſinguli peragrantes, *ea conquiſiuerunt, quæ aliquando nihil attinebant: Vt non tam quid artes ſuæ valerent, quam quid ipſi poſſent, exponerent: vt eas non tam ſuis terminis, quam ſuorum ingeniorum finibus deſcripſiſſe videantur.* Non auſim dicere, vereor tamen ne qua in re laudē induſtriæ & doctrinæ potiſſimum venentur, in ea ipſa re maxime & otio ſuo & literis abuſi ſint. *Ad Her. l. 1.* *Ibid.*

Ex iis ergo initijs doctrina orta eſt, his alimentis aucta, lateque extenſa. Quiſque enim ſingulari ſtudio raptus, varia in ſtomachum doctrinæ congeſſit, quibus multa cōtrouertendi agitatione concoctis, & digeſtis, corpus literarum iugiter excreuit: vt iam ad illius molem nihil addi poſſe videatur. In eo igitur omnes noſtræ cogitationes & curæ ponun-

nuntur, vt vniuerſæ eruditionis forma pulchra ſit, ne quid monſtri ex materiæ redundantia, aut confuſione partium appareat. Ideoque hoc quiſq; (vt maxime velit literariæ Reipublicæ prodeſſe) præcipue enititur, vt ſingulæ diſciplinæ ſuis finibus concluſę ad iuſtum ordinem redigantur. Cui cenſuræ operam quidē nec literis inutilem, nec ſuo ſublimi, & excuſſo ingenio indignam, Dn. Franciſcus Bacon noſter, Eques auratus, vir quidem verè aureus, præſtitit in libro, quem *De bonarum literarum proficientia, & promotione* (vtinam tam exteris quam noſtratibus cognito) erudite conſcripſit. Politiores literæ in Criticorum manibus totæ habentur, philoſophiam, & tres illas profeſſiones Methodiſtæ ad rationem accuratius exigunt, totumque hoc ſæculum logicæ deditiſſimum quis non videt? Vtpote quæ intelligentiæ magiſtra eſt & regina iudicij.

☞ Ita ſuas doctrina ætates habuiſſe videtur, quarum prima infans erat: nullæ enim literæ extabant: ſecunda iuuenilis ingenij feruore excellens omnia inuenit & excogitauit, quibus vniuerſa doctrina con-

conſtat: virilis tertia animi robore valentior, de omnibus in omnem partem contendebat: præſens, ſenilis hęc iudicio potiſſimum præpollens, id vnum agit vt poſt locupletiſſimas artium omnium inuentiones, acerrimas de ijſdem controuerſias, eas tandem ad amuſſim exactas, abſolutaſque habeamus. *Ineſt rebus omnibus, quidam velut orbis, vt quemadmodũ Temporum vices, ita Morum vertuntur: nec omnia apud priores meliora, ſed noſtra etiam ætas multa laudis, & Artium laudanda poſteris tulit.* Et quidem annis retro actis huic ætati nomẽ ſenilis antiquitatis reuera tribuendum eſt, cui natura niſi eſſet effuſe prodiga, iudicij dotes reſeruare tenebatur. Quibus animus iam bene fretus ad infantem illam ſolertiæ præcipitantiam, priſcorum deinde philoſophorum ruditatem, ſophiſtarum deinceps imperitiam, profitentium denique arrogantiam, corrigendum, ſe totum conuertit. *Certa recentiſſima quæq; ſunt correcta & emendata maxime.* Hinc autem, vt ex Apẽnino fluminum, ſic facta ſunt ex communi iugo literarum diuortia, vt exacta & polita doctrina tanquam in ſuperum

Tacit.

Ac. 4.

mare Ionium defluat, Græcum quoddam & portuosum; inanis autem logodædalia, & verborum strepitus in inferum Thuscum, & barbarum, & scopulosum atque infestum, labatur; in quo etiam ipse Vlysses aberrâsset.

Scientia nullos habet inimicos præter ignorantes, & proficientia nisi deficientes; qui contendere supersedendum putant, quò se iam pridem peruenisse arbitrantur; & *ad quamcunq; opinionem fuerant quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhæresunt. Nihil dici iam posse putant, quod non dictum erat prius:* idque sæpius inculcat & obtrudit

Cic. Ac. 4.

Ter. Eu. prol

——Laudator temporis acti
Se puero.—

Hor. Art. poet.

Quæcunque eius vsui discrepant, explosa, exibilata sunt, veluti insaniæ & furoris plena, nec cognita, nec audita. Nimirum *malit quisq; didicisse quam discere.* Ideoque omnes vt paulo sunt prouectiores, sibi contradici iniuriæ loco deputant, quia pudet

Quin. Inst. l. 2. c. 1.

Quæ iuuenes didicere, senes perdenda fateri.

Ego vero

Hor. Art. Poet.

Cur nescire pudens prauè, quam discere malo?

Plurimum

Plurimum (inquit Seneca) *ad inuentionem attulit quisquis sperauit posse inueniri*; nec quidem minus ille ad proficientiam, qui *plus vltra* posse detegi existimat. Qua profecto opinione ductus huic operi qualicunq; operam ego impendi meam, non tam perficiendi spe, quam proficiendi voluntate. Id autem conatus sum, vt natura, virtus, doctrina respondeant inuicem, & vndiq; conueniant; ratione vsus physica, morali, literaria; orsus ab initio rem perduxi ad extremum, & nouissima contuli cum primis. Ita autem raptus & concitatus mihi cursus fuit, & sic euolauit festinanti oratio, *vt eius iam vim aliquam, & concitationem aspiciam, vestigia, ingressumq; vix iam videre possim*. Si quis igitur literarum varietate locupletior & dicendi facultate copiosior, hoc idem opus se dignum putauerit, multa profecto eaque optima habet dicere nondum occupata. Is vero animo bene prudens ad Rempublicam literariam capessendam accesserit, qui & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia paratus est; qui-

que ſuam antiquitati authoritatem permittendam, ſuamque proficientiæ gratiam concedendam putaſt.

Laus vni Deo.

FINIS.